SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXVI.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.



XXVI.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis
et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1874.

S. LEONIS MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLAE SELECTAE.

(CONTINUATIO XXIX—L).

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

De romani pontificis infallibilitate

DISSERTATIO.

---

1. In praefatione tomuli praecedentis ex analogia dogmatum collegimus, catholicae unitatis custodiam uni supremo pastori divinitus fuisse concreditam, qui proinde non solum primatu honoris, sed et jurisdictionis super omnes potiatur fideles atque episcopos. Hujus porro primatus jura atque ambitum theoretice et practice illustrant s. Leonis epistolae. Quot enim supersunt, tot fere prostant argumenta pro una alterave ex illis primatus praerogativis, quas recensuimus in praefatione t. 17. opusculorum. Ne acta agamus de una tantum praerogativa, quae primatus est vertex atque corona, disseremus, scil. *de infallibilitate.*

2. Hanc eidem competere clarissimis verbis definivit concilium vaticanum sess. 4. c. 4. statuens „Romanum pontificem cum *ex cathedra* loquitur i. e. cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema

sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit[1]), per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.«

3. Innumera eaque eruditissima conscripta sunt jam opera ad hanc asserendam praeroga-

---

1) Ita distincte notionem definitionis *ex cathedra* concilium determinat, ut omnes adversariorum cavilli de hujus locutionis ambiguitate jam seclusi sint. Quod si subinde incertum sit, utrum aliqua pontificis sententia definitio sit e cathedra, advertatur non minus difficile persaepe esse statuere, utrum certa quaedam concilii oecumenici verba synodalem contineant definitionem. Sicut ergo hoc dubium optime conciliari potest cum fide in conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, ita singulare dubium, an aliquid definitum censeri debeat e cathedra, dogmati de romani pontificis inerrantia non adversabitur. Ceterum juverit jam a disputationis exordio prae oculis habere, plerasque difficultates adversus hoc dogma petere etiam conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, atque horum infallibilitatem omnibus diligenter expensis vix facilius firmiusque probari posse romani pontificis inerrantia. Cf. Kleutgen disput. theologica de rom. pontificis suprema potestate docendi, Neapoli 1870. §. 1.

tivam romano pontifici, hinc fusiori stilo non est opus, imo utilius forte pluribus erit, ut ea quae copiose ab aliis disputantur, ad quandam contrahantur summam, ut uno veluti conspectu praecipua quibus utuntur theologi argumenta cognoscantur.

4. Et in primis consequitur romani pontificis infallibilitas sponte sua per modum corollarii ex variis Ecclesiae universalis definitionibus vel judiciis authenticis[1]: quare in dubium vocari nequit, quin illa ipsa vocentur in discrimen. Huc

---

1) Hoc sentit et concilium vaticanum sess. 4, c. 4., quod volens magisterium romani pontificis infallibile sancire, primum provocat ad ejusmodi conciliorum oecumenicorum decreta. Hinc etiam patebit, dogma hoc non esse *novum* novitate *originis*, sed tantum novum novitate *explicationis* seu melius novitate *propositionis*. Continebatur enim jam antiquis fidei regulis non quidem explicite et formaliter, sed implicite et virtualiter: ita tamen clare, ut innumeri theologi illud jam inde eruerint (hinc negavimus novitatem *explicationis*): tantum ad omnem dubitationis nubeculam abigendam hanc illationem et explicationem Ecclesia authentico comprobavit judicio, quod ante nondum fecerat: en *propositionis* novitatem. Habes his specimen illius fidei profectus, quem praeclare describit Vincentius lirinensis commonit. c. 23. s. (opusc. 9, 212. ss.). Hinc omnino corruunt, quae Döllinger Erwägungen n. 1. de hujus dogmatis novitate animadvertit.

spectat Hormisdae formula Orientis episcopis, qui schismatis acaciani participes fuere, praescripta hujus tenoris: „Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. J. Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18), haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina[1]. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes . . ., speramus, ut in una communione, quam sedes apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas[2], promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria."

---

1) Haec verba *et sancta celebrata doctrina* non leguntur in formula fidei Hormisdae prout habetur in ep. ejus 7. seu indiculo dato suis legatis ad Anastasium imp. nec in ep. 26. ad episcopos Hisp. ed. Thiel., sed leguntur in formula subscripta in Conc. oecum. VIII. act. 1., unde eam recepit conc. vaticanum. Ita etiam infra legitur *vera* pro *verax*.

2) Hucusque concilium vaticanum verba formulae allegat.

5. Porro consideretur 1. hujus formulae auctoritas: habebatur enim haec formula ut tessera orthodoxiae: nam nonnisi praemissa hujus formulae subscriptione recipiebantur episcopi, qui fuerant participes schismatis acaciani: ea subscripta fuit ab episcopis 2500[1]), ab imperatore Justiniano, patriarchis constantinopolitanis Epiphanio, Joanne[2]) et Menna, denique in VIII. synodo oecumenica act. 1. a patribus graecis et latinis. Jam vero 2. in hac formula *factum* infallibiliatis enunciatur: „in sede apostolica immaculata est *semper* servata religio[3]).“ Hoc autem 3. non contigit casu, sed hujus facti aperitur ratio: ea continetur verbis Christi ad Petrum: *Tu es Petrus* etc., quae cum semper vera sint atque ad omnes ejusdem spectent suc-

---

1) Ita saltem scribit Döllinger ipse Kirchengeschichte 1, 177. ed. 2. a. 1843.

2) Lectu digna sunt, quae refert Dioscorus diaconus Hormisdae legatus in sua suggestione ad pontificem (ep. 65. ed. Thiel.), quanta scil. auctoritate exegerint hujus formulae subscriptionem legati. „Dominus noster, ajunt imperatori, beatissimus papa Hormisda, qui nos direxit, non nobis praecepit certare, sed prae manibus habemus libellum, quem omnes episcopi volentes sedi apostolicae reconciliari fecerunt.“

3) Hoc factum saepius inculcat s. Agatho in sua ad Augustos epistola, in qua inter alia hujus

cessores, similem semper effectum habebunt. Haud obscure vero 4. hujus divini consilii finis

---

facti originem aperit, ita scribens (Mig. 87, 1168): „Ejus (Petri) vera confessio a Patre de coelis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronunciatus est Petrus: qui et spiritales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit, cujus annitente praesidio, haec apostolica ejus Ecclesia *nunquam* a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt omnes venerabiles patres apostolicam ejus doctrinam amplexi.“ Jam vero si sedes apostolica immaculatam *semper* servavit religionem, ut dicitur in formula Hormisdae, et *nunquam* a via veritatis deflexa est, ut quater saltem Agatho inculcat, excluditur 1. quorundam effugium indefectibilitatem in fide competere tantum pontificum seriei seu successioni, non vero singulis: sequitur 2. nil novisse Agathonem et patres conc. oecumenici VIII. act. 1. de lapsu Honorii in definitione fidei, quae fuerit e cathedra. Eoque majoris facienda est epistola Agathonis, quod de ea dixerint patres conc. oecumenici VI. in ep. ad eundem (Mig. 87, 1248): „Itaque tibi ut primae sedis antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter perlectis verae confessionis literis a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis: quas ut a summo apostolorum vertice divine perscriptas (θεολογηθέντα) agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam haereticam de-

aperitur verbis illis: „in qua est integra et vera christianae religionis soliditas“[1]: cum enim aedificii soliditas pendeat a fundamenti firmitate (Matth. 7, 24. ss.), cathedra vero Petri Ecclesiae sit fundamentum (16, 18), mirum esse non debet, quod Christus, ut integra et vera christianae religionis sit soliditas, ita cathedram Petri firmaverit, ut in ea semper immaculata servaretur religio. Hinc 5. practicum infertur corollarium, dissensum a sede apostolica sequestrare a communione Ecclesiae catholicae, et ne a vera excidamus fide, communionem cum sede apostolica esse servandam[2]. Quibus dogma catholicum de romani pontificis infallibilitate plenissime continetur[3].

---

pulimus etc.“ In oratione vero ad imperatorem habita (Mansi, coll. conc. 11, 666) exclamaverunt: „Charta et atramentum videbatur *et per Agathonem Petrus loquebatur.*“

1) Hoc agnovit Theodorus Studita l. 2. ep. 129. ad Leonem sacellarium scribens: „Quod si haec minime probet imperator deflexitque, ut ipse ait, a veritate Nicephorus patriarcha: mittenda est ad romanum (patriarcham) ex utraque parte legatio, et inde accipienda certitudo τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως.“

2) Hoc alibi fuse aliorum patrum testimoniis comprobavimus opusc. 6, 37. annot.; 10, 16.

3) Cf. Gueranger, de la monarchie pontificale §. 7.

6. „Approbante[1]) vero lugdunensi concilio II. graeci professi sunt: Sanctam romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in b. Petro apostolorum principe sive vertice, cujus romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri[2])“. Hisce exhibetur romanus pontifex controversiarum judex et quidem *supremus*, qui judicio non quocunque, sed *peremptorio* fidei quaestiones dirimit. Tribuitur enim ipsi potesta-

---

1) Ita prosequitur conc. vatic. l. c. post allatam formulam Hormisdae.

2) Haec quasi in antecessum commentans s. Bernardus scribit ep. 190. in causa Abaelardi ad Innocentium II: „Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, et praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum. Haec quippe hujus praerogativa sedis. Cui enim aliquando dictum est: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur, a successore Petri exigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32).“

tis *plenitudo*, statimque subjicitur hujus potestatis unum ex pluribus munus, defendere veritatem et hinc definire quaestiones fidei, ergo et in hoc munere plenitudinem possidebit potestatis: judex ergo, qui *pleniori* potestate hoc munere fungatur, in Ecclesia non est. Hinc etiam supremum et peremptorium erit ejus judicium, a quo non datur appellatio, proinde infallibile.

7. Provocat dein tertio loco concilium vaticanum ad synodi florentinae definitionem, qua definitur: „Pontificem romanum verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse[1].“ Cum in pote-

---

1) In conc. flor. definitione haec sequuntur verba: „Quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in ss. canonibus continetur.“ Haec verba avidissime arripiunt jurium primatus adversarii, sed secundum textum graecum *καθ᾽ ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς καίνοσι διαλαμβάνεται*, quem putant esse vertendum: secundum eum modum, mensuram, limitem, qui ss. canonibus continetur: proinde putant, ipsum concilium romani pontificis potestatem synodorum canonibus obnoxiam iisque circumscriptam exhibere. Verum 1. dum hoc adversarii autumant, supponunt textum graecum esse textum

state pascendi, regendi ac gubernandi, potestas docendi quoque includatur, profecto et haec *plena*

---

originalem authenticum, textum vero latinum esse tantum versionem, et quidem minus fidelem, imo corruptam: atqui uterque textus est originalis et authenticus. Constat siquidem, definitionem prius fuisse latine conscriptam, deinde graece versam, ac nonnullis ex utriusque partis consensu mutatis, utrumque textum fuisse subscriptum. Quare 2. verba editionis latinae genuinum exhibent concilii sensum, et nonnisi impie corruptioni vel absurde mendo adscribuntur. Et revera 3. verba graeca secundum omnes grammaticae regulas reddi possunt *quemadmodum etiam* etc. Sed 4. non solum ita reddi *possunt*, sed etiam ita reddi *debent*, etiamsi concilium illorum sensum authentice non determinasset. Sane a. in praecedentibus *plenitudo* potestatis asseritur romano pontifici: nequeunt ergo verba immediate sequentia hujus potestatis *limitationem* significare, quin contextus minus apte cohaereat: praesertim b. cum concilium hanc potestatis plenitudinem *jure divino* inesse rom. pontifici declaret: sed profecto jus divinum circumscribi nequit jure *ecclesiastico* seu conciliorum canonibus: nequeunt ergo sequentia primatus limitationem ex canonibus obortam significare. Et revera c. nulla assignari potest limitatio primatus per legitimos canones: quare verba illa non significant limitationem, *quae non exstat*, sed confirmationem primatus, quem revera jam antea synodi practice et theoretice agnoverunt, ut vel ex s. Leonis epistolis liquet. Hinc testatur Bonifacius I. ep. 14. ad episcopos Thessaliae (opusc. 18, 162) nicaenam synodum „non aliquid super eam (sedem

erit: sed plena non foret docendi potestas romani pontificis, si aliquid certitudinis et authentiae ei deesset, si plenum et absolutum non pos-

---

Petri) ausam esse constituere, cum videret, nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.« Cf. Gelasium ep. 12. n. 9.; 42. n. 1. Ita vero scribit Nicolaus I. ad Michaelem imp. (ep. 86. ap. Mig. 119, 948): »Quod si a nobis quaeritis scire utpote a ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum ejus (privilegia ecclesiae romanae), vobis evidentius ostendemus; si vero nosse parvipenditis, et solum contra privilegia ecclesiae romanae nisus vestros erigitis, cavete ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis (contra impetum fluminis reluctari, durumque est) contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario, quales D. N. J. Christus hos haberi praecepit, qui Ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum ecclesiae romanae privilegia Christi ore in b. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus; et quod Deus statuit, firmum validumque consistit: illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, istius sedis vel Ecclesiae perpetua sunt: divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, evelli non possunt.« Cf. Kleutgen §. 6.

set determinare assensum, si non sufficeret ad peremptorium de controversiis fidei judicium ferendum, si ejus auctoritas sustentanda, firmanda, complenda esset assensu episcoporum, si hos antecedenter ad eorum assensum non obligaret, si non *aequaret* docendi potestatem Ecclesiae infallibilis, verbo si haec docendi potestas non esset infallibilis. Ergo eo ipso, quod asseritur romano pontifici *plena* docendi potestas, vindicatur ei etiam infallibilitas, qua docendi potestas completur et consummatur. Videant ergo adversarii, quo jure novitatis insimulent hoc dogma: qua logica profiteantur antiquiorum se conciliorum amplecti doctrinam, dum negant romani pontificis infallibilitatem.

8. Non minori evidentia colligitur haec romani pontificis praerogativa ex splendidissimis Christi verbis, quibus ipsum instituit primatum. Ea colligitur ex verbis Christi: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* etc. (Matth. 16, 18), prout jam alia occasione vidimus[1]). Hinc confidenter Possessor episcopus afer ad Hormisdam scribit[2]): „Decet et expedit ad capitis recurrere medica-

1) Opusc. 14, 9. coll. annot. p. 18. ss.

2) Epist. 115. inter ep. Hormisdae ed. Thiel. n. 1.

mentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quam ab ejus sede praeside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus* etc.?« Cui consentiens vel Anastasius imperator ad eundem pontificem scribit[1]): »Nunc autem currens de vobis suavis opinio ad memoriam nostram bonitatem paternae affectionis adduxit, ut illa requiramus, quae Deus et Salvator noster sanctos apostolos divino sermone docuit ac maxime b. Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiae suae constituit.«

9. Sed luculentissima sunt, quae docet s. Maximus confessor[2]): „Omnes enim, inquit, orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam romanam ecclesiam ejusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans exspectantes jubar, patrum doctrinae sanctorumque, prout sincere omnique pietate numine afflatae atque divinae sanctae sex synodi exposuere, explicatissime fidei symbolum eden-

1) Ep. 2. inter ep. Hormisdae.

2) Ex ep. Romae scripta opp. t. 2. ed. Combef. p. 72.

tes. Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam firmam basim ac fundamentum omnes ubique christianorum ecclesiae, quae ibi est, maximam nacti sunt habentque Ecclesiam, ut in quam juxta ipsam Salvatoris promissionem portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat, hisque qui cum pietate accedant, quae vere natura est solamque pietatem aperiat; claudat vero atque obstruat omne os haereticorum injustitiam loquens in excelso.« Nec minus praeclara sunt haec Sergii cyprii Theodorum papam alloquentis: »Firmamentum a Deo fixum et immobile atque tituli formam (columnarem inscriptionem) lucidissimam fidei vestram apostolicam sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter praenunciat verbum, Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt: tibi et claves coelorum commisit, atque ligare et solvere potestative (*κατ᾽ ἐξουσίαν*) quae in terra et in coelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haeresum depositor exsistis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, pater, fidem aestuantem et ab aliquibus haereticis ventis violentatam necnon periclitantem: resolve nebulam insipientium lu-

mine tuae divinae scientiae, sanctissime.« Quod si hisce romano pontifici dum petrae agit munus infallibilitas non asseritur, desunt verba quibus eadem significetur.

10. Ea colligitur ex verbis Christi: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32), ut ostendimus opusc. t. 14. p. 24. s. in annot. Eam sat claro hinc infert s. Agatho ep. ad Constantinum imperatorem: „Apostolica Christi ecclesia per omnipotentis Dei gratiam a tramite apostolicae traditionis *nunquam* errasse probabitur[1]), nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Evangeliis fatus est: *Petre, Petre*, inquiens, *ecce satan expetivit* etc. (Luc. 22, 31. s.) . . . Confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meae exiguitatis praedecesso-

1) Hinc Gelasius in decretali synodica (inter ep. 42.) n. 1. de ecclesia romana affirmat: „Est ergo prima Petri apostoli sedes romana ecclesia *non habens maculam neque rugam nec aliquid hujusmodi* (Eph. 5, 27).

res confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.« Eam illis verbis expressam vidit Stephanus dorensis in libello supplici Martino I. in concilio romano oblato: „Ipse (Petrus) praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et *immutabilem* fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spirituales meruit fratres, utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem ... Quod utique sciens b. memoriae Sophronius quondam patriarcha ... studuit meam humilitatem sine mora ... ad hanc apostolicam magnamque dirigere sedem etc.«[1]).

---

1) Plura de hoc textu deque argumento inde derivato cf. apud Schrader de unitate romana l. 2. n. 189. ss.; Katholik 1863. fasc. Maj. p. 404. ss. Ex patribus cf. praeterea s. Bernardum supra p. 8. annot. 2.; Gelasium ep. 4. n. 1. et tract. 2. n. 8: »Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beatissimi Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententia: *Tu es Petrus* etc.; et rursus ad eundem: *Ecce ego rogavi pro te* etc.;« Theodoretum annot. seq.

11. Ea colligitur ex verbis, quibus Christus post suam resurrectionem Petrum agnorum et ovium pastorem Joan. 21, 15. ss. constituit. Juri enim et muneri pascendi respondet in ovibus sequendi et obediendi officium. Quare si supremus Ecclesiae pastor, cui vel episcopi obnoxii sunt, pro munere gregem dominicum doctrina pascit, eum fideles omnes sequi tenentur[1]), alioquin de ejus auctoritate actum erit. Sed nisi iis in adjunctis supremus pastor ab errore servetur immunis, actum quoque esset de Ecclesia. Fac enim romanum pontificem, dum petrae confirmatorisque fratrum munus gerit, erroneam proponere doctrinam, vel Ecclesia pastorumque coetus eum audit atque sequitur, et en universa Ecclesia ducitur in errorem, quod nefas est dicere: vel fidelium aut pastorum coetus doctrinam examini subjicit, ut cognoscat, an sit revelationi consona necne: errantem pontificem non sequitur, et ubi tunc est illa *plenitudo* potestatis pascendi et docendi, cum oves doceant

1) Nam, ut ait Gelasius ep. 12. n. 2., „si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit praeeminere et subsequens Ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit?“

pascantque suum pastorem? actum jam est de romani pontificis auctoritate, nec ubi Petrus, ibi est Ecclesia: non confirmat ipse fratres confirmandus potius ab illis[1]). Quare ipsum supremi pastoris munus in universum ovile dominicum Petro ejusque successoribus collatum infallibilitatem in docendo flagitat.

12. Hinc jam veteres romani pontifices scientes sibi concreditum esse munus pascendi universam Ecclesiam[2]), si non diserte, aequivalenter

---

1) Certo inverteretur illud divinae sapientiae consilium, quo per Petrum consultum est firmitati Ecclesiae, quod cum s. Leone et Pelagio II. (opusc. 14, 24.) ita citatis verbis Luc. 22, 31. s. expressit Theodoretus in orat. de divina caritate (Migne 82, 1510): „Quemadmodum enim, ait (Christus), ego te fluctuantem non despexi, ita et tu sustentaculum es, fratribus conturbatis, et quo servatus es auxilio, ipse aliis impertire, neque labescentes impelle, sed erige periclitantes. Idcirco enim et te labare sino, cadere non permitto, *stabilitatem per te fluctuantibus procurans.*" Ceterum non solebant episcopi, nedum fideles supremi pastoris vocem examini subjicere, quod tamen debuissent, saltem episcopi, ne in errorem ducerentur; sed maxima potius reverentia pontificum verba excipiebant. Habes luculentum exemplum opusc. 17. p. 7. in annot. De his Christi effatis cf. etiam Wieser, die Unfehlbarkeit des Papstes und die Münchener Erwägungen §. 2. ss.

2) Hinc loquitur Gelasius ep. 5. n. 1. de „cura sedis apostolicae, quae *more majorum* cunctis

saltem infallibilitatem sibi asserunt. Huc spectant testimonia, quae in hac collectione reperies, uti Zosimi, qui confidenter affirmat[1]): »Quamvis patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet etc.« »Nemo unquam, inquit[2]) Bonifacius I., apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari.« Huc spectant repetita s. Leonis effata in suis sermonibus, ut cum dicit[3]): »Soliditas illa fidei, quae in aposto-

---

per mundum debetur ecclesiis.« Quae repetit ep. 6. n. 10. Sed legatur integra praefatio t. 17. opusc.

1) Ep. 12. n. 1. (opusc. 18, 142). Id mox repetit: »Cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia etc.

2) Ep. 15. n. 5. (opusc. 18, 194). Similia habet ep. 13. n. 2. (ib. 18, 159). Fatemur quidem utroque in loco sermonem esse de negotio, quod ad Ecclesiae regimen, non ad fidem spectat, sed verba sunt plane universalia: nec ulla est ratio, quare judicia rom. pontificis de disciplina sint irreformabilia, si eorum de fide judicia retractari possint.

3) Serm. 3. n. 2, 3. (opusc. 14, 6). Sed integra haec capita legenda sunt, ut magis eluceat horum verborum pondus atque momentum. Cf. serm. 4. c. 2, 3. ib. 14, 17. ss. Cf. etiam ejus ep. 10. in causa Hilarii arelat. in tomulo praeced. 6. c. 1. Hinc

lorum principe est laudata, *perpetua* est . . . Manet ergo dispositio veritatis et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.« Et iterum[1]: »Soliditas enim illa, quam de Petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfudit heredes, et ubicunque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris.« Merito hic afferri possunt verba praefationis ex libro sacramentorum ecclesiae romanae, quae Leonis stilum sapiunt vel ejus saltem sensa referunt[2]: »Qui secundum promissionis tuae inviolabile constitutum apostolicae confessioni superna dispensatione largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidata, nulla mortiferae falsitatis jura praevaleant: et quantalibet exsistat errantium multitudo, illi sint redemptionis tuae filii, et illis Ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum principali traditione non dissonant: ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quae te dispensante devota obsequitur, quidquid sedes

---

Zeno imp. literis ad s. Felicem II. papam datis Petrum fatetur esse petram fidei (cf. ep. 15. s. Felicis II. n. 1).

1) Serm. 5. c. 4. opusc. 14, 31.

2) Op. s. Leonis t. 2. ed. Baller. Ven. p. 40.

illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiae principatum.« Cui plane consone Simplicius I. ad Basilium Augustum[1]): »Perstat enim in successoribus suis haec eadem apostolicae norma doctrinae, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem seculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cujus sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse in coelo.«

13. Ita vero s. Gelasius disserit[2]): »Duodecim certe fuere apostoli paribus meritis parique dignitate suffulti: quumque omnes spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique simul doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus aeterno hospitio conquiescit, praestans sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo

1) Ep. 3. n. 5. ed. Thiel. Secundum alios scripta est Leoni Augusto.

2) Tract. 2. n. 10. ed. Thiel p. 259. Alia ejusdem pontificis verba praeclarissima habes opusc. t. 17. p. 19.

qui requieverit, beata et aeterna statione gaudebit: qui vero contempserit, ipse videbit, qualia genera excusationum in die obtendat judicii.« Sed quomodo Petri sedes a portis inferi nunquam vincitur, errore commutare si fidem potest? quomodo fluctuantium tutissimus est portus, si ipsa fluctuat atque naufragio est exposita? quomodo aeternam stationem praebet, si errorem credendum proponit? Et alibi declarat [1]: „Quapropter non veremur, ne apostolica sententia (de Acacio scil.) resolvatur, quam et vox Christi et majorum traditio et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis, si quis in eis religionis est sensus, ne pravitatem suam nullatenus deponentes apud Deum hominesque sedis apostolicae perpetua constitutione damnentur.« Et iterum [2]: „Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes b. Petri apostoli jus ha-

---

1) Ep. 10. seu commonitorii ad Faustum n. 10. Antea n. 9. jam declaraverat: „Si quantum ad religionem pertinet (negotium), nonnisi apostolicae sedi juxta canones debetur summa judicii totius.«

2) Epist. 26. ad episc. Dardaniae n. 5. Quae autem hic affirmat, exemplis illustrat, quae habes opusc. t. 17. p. 18. in annot. Cf. etiam infra n. 89.

beat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus licet judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.« Verba s. Agathonis supra jam audivimus[1]). Hinc merito jam Sixtus IV. damnavit hanc Petri oxomensis propositionem (7): »Ecclesia urbis Romae errare potest;« Alexander VII. hanc alteram (29): »Futilis et toties convulsa est assertio de pontificis romani super concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate«; et Innocentius XI. cum Alexandro VIII. rejecit articulum quartum declarationis gallicanae: »In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi pontificis esse partes ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.« Tantorum porro praesulum effata hac etiam in quaestione summi esse ponderis, alia jam occasione comprobavimus[2]).

---

1) Annot. p. 6.

2) Annot. opusc. 10, 19. ss. et opusc. 25, 5. annot. Cf. pro hoc argumento Wieser, die Unfehlbarkeit des Papstes und die Münchener Erwägungen §. 10. s.

14. Verum non solum pontifices sibi hanc asseruerunt praerogativam, sed quam plurima concilia provincialia, quorum in Ecclesia haud spernenda est auctoritas, praesertim si plura conspirant nemine refragante, splendidissimis verbis infallibilitatis decus iisdem adscribunt. Ex quamplurimis[1]) unum tantum alterumve audiemus. Ita ex. gr. scribunt episcopi tarraconenses (a. 463—464.) ad Hilarum papam[2]): »Etiamsi nulla exstaret necessitas ecclesiasticae disciplinae, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestrae, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis praedicatio universorum illuminationi prospexit: cujus vicarii[3]) principatus sic ut eminet, ita me-

---

1) Cf. Schrader, de unitate romana 2, 318. ss.; Schneemann Stimmen aus Maria Laach 10, n. 202. ss.; Collect. concil. lacensis t. 4., ubi quam plurima reperiuntur concilia provincialia Galliae, quae hoc docent; Roskoványi, passim in op. Romanus pontifex; Freppel, de primatu rom. pontificis ejusque infallibili magisterio juxta ultima Galliarum concilia provincialia, Taurini 1870.

2) Epist. 13. n. 1. inter ep. Hilari ed. Thiel.

3) *Cujus vicarii*: intelligendus romanus pontifex. Petri enim successores jam priscis temporibus ejusdem vicarii vocari consueverunt.

tuendus est ab omnibus et amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus in apostolico ore laudatam, unde nihil errore, nihil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.« Concilium romense in Gallia a. 1857. haec profitetur[1]: »Et vero in tota retro antiquitate christiana b. Petrus ipse vel ejus successor pontifex romanus appellatur firma et solidissima petra, supra quam Salvator Ecclesiam aedificavit, Christi vicarius in terra, apostolorum princeps, Ecclesiae caput, columna, magnum et firmum fundamentum, firmamentum fidei etc. Sed nec a patrum traditione concilia unquam recessere . . . Cum igitur pontifex romanus in b. Petro, cujus apostolicam sedem occupat, mandatum acceperit a Christo agnos et oves totumve gregem christianum pascendi, necnon claves regni coelorum cum suprema potestate in universo orbe terrarum ligandi ac solvendi, illius utique officium est ac munus, non solum veritatem catholicam defendere, et si quae de fide morumve regulis subortae fuerint quaestiones suo *irreformabili* quidem judicio definire, sed etiam eadem auctoritate quidquid universali Ecclesiae expedire judicaverit, in iis

1) Decret. c. 4.

quae ad populi christiani disciplinam pertinent, statuere, ita, ut vera illius decretis et constitutionibus, cujuscunque sint generis, obedientia praestari debeat ab omnibus fidelibus ac etiam ecclesiarum praelatis etc.« Concilium westmonasteriense a. 1852. decr. 7: »Fundamentum igitur verae et orthodoxae fidei ponimus, quod D. N. J. Christus ponere voluit, inconcussam scil. Petri cathedram, totius orbis magistram et matrem s. romanam ecclesiam. Quidquid ab ipsa semel definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus.« Concilium ravennatense a. 1855. p. 1. c. 3: »Tantaque et tali pollet auctoritate (rom. pontifex), ut licet de fidei et morum controversiis supremum omniumque solemnissimum judicium ferat Ecclesia, tamen et ipse ut omnium christianorum doctor, per quem Petrus loquitur et semper vivens judicium exercet, et in propria sede praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem, sententia prorsus *irreformabili* controversias easdem dirimere possit per se solum ac ex cathedra definiens reapse dirimat.« Concilium strigoniense a. 1858. tit. 5. de hierarchia 2: »Petro in rebus fidei et morum per os pontificis loquenti omnes per orbem fideles et pastores citra omne dubium assensum semper praebuerunt.« Concilium baltimorense a. 1858. in ep. ad rom. pontifi-

cem: „Saepe tradimus et vehementer etiam atque etiam inculcamus, esse aliquam in terris cathedram, quae veritatem ab omni erroris labe immunem mortales homines doceat; esse unam inter omnes Ecclesiam, ad quam necesse est, ut omnis, quae sub coelo est Ecclesia i. e. omnes, qui sunt undique vel esse volunt Christi fideles, venerabundi conveniant, utpote in qua Petrus a Deo edoctus vivit adhuc et praesidet, et unus abunde praestat quaerentibus fidei veritatem.« Concilium coloniense a. 1860. p. 1. tit. 6. c. 24: „Ipse (rom. pontifex) est omnium christianorum pater et doctor, cujus in fidei quaestionibus *per se irreformabile est judicium.*" Concilium ultrajectense a. 1865: „Romani pontificis judicium in iis, quae ad fidem moresque spectant, infallibile esse indubitanter retinemus.«

15. Jam vero episcoporum ordo non solum in concilium oecumenicum collectus, sed etiam per orbem dispersus in unitate cum romano pontifice docens est infallibilis. Sed quando magis constat episcopos per orbem dispersos aliquid docere, quam cum id solemniter docent ubique terrarum in concilia provincialia collecti? Romani vero pontificis infallibilitatem docuerunt episcopi per orbem dispersi jam ante concilium vaticanum tot in conciliis provincialibus: quare

concilii vaticani definitio nonnisi solemnior est manifestatio fidei illius, quae diffusa jam vigebat in Ecclesia infallibili. Hinc admiranda sapiens Dei providentia, quae *ad obturanda ora adversariorum* tam universalem solemnemque fidei manifestationem praemisit ipsi concilio vaticano.

16. Haec romani pontificis praerogativa colligitur quoque ex *sensu theoretico* et *practico* antiquitatis. Quid enim a. aliud supponunt tot consultationes undique romanae cathedrae propositae, nisi quod omnibus esset persuasum, inde fluere latices doctrinae purae nullo errore turbatos. Tot jam attulimus ejusmodi consultationum facta[1]), quae lectori vel moroso suadere possent. Sed ne videamur ejusmodi factis

---

1) Opusc. 17. p. 4. ss. Huc quoque spectant luculentissima testimonia, quae supra adduximus, scil. Theodori Studitae p. 7. annot. 1.; Bernardi p. 8.; annot.; Possessoris n. 8.; Anastasii imp. ib.; Maximi M.; Sergii Cyprii n. 9.; Stephani dorensis n. 10. Cf. etiam libellum Agapeto oblatum contra Anthimum, Severum etc. a Mariano presbytero et primate monachorum regiae civitatis, et ceteris archimandritis ejusdem civitatis, et ab archimandritis et monachis Hierosolymorum (Mig. 66, 50. ss.); epist. encyclicam 1. Martini I. (ib. 87, 123.) et s. Hieronymi praeclarissimas epistolas in nostra edit. 2, 3. opusc. t. 11.

carere, alia quaedam addemus. Proposuerat Severus scholasticus constantinopolitanus Fulgentio Ferrando diacono carthaginiensi quaestionem, utrum Jesus Christus dici possit unus de sancta et individua Trinitate. „Interroga vir prudentissime, respondet prudenter diaconus ille, si quid veritatis cupis audire, principaliter apostolicae sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis et fulcitur munimine auctoritatis.“ Hoc consilium secutus recurrit Justinianus ad Hormisdam in quaestione, utrum dicendum sit, unum de Trinitate fuisse crucifixum, et ipse imperator Justinus in quaestionibus de fide (infra n. 29). Consulunt „Columbus primae sedis episcopus concilii Numidiae et Stephanus primae sedis episcopus concilii byzaceni et Reparatus primae sedis ep. concilii Mauritaniae et universi episcopi de tribus conciliis antedictis africanae provinciae“ Theodorum „patrem patrum et summum omnium praesulum pontificem“, sed quare? quia, ut ajunt, „magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter universum largissime irrigantes orbem christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae

omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est[1]), ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquis positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut hujus auctoritate justa quae fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis.«

17. Fides sedis apostolicae b. habebatur tamquam norma tuta orthodoxiae. Hinc qui communione jungebatur romano pontifici, verus censebatur catholicus[2]): hinc ii, quorum fides in

---

1) Haec desumpta sunt ex ep. s. Innocentii ad conc. carthaginense, quam cf. opusc. 18, 78. ss.

2) Cf. opusc. 6, 37. annot.; 10, 16. ss. Hinc synonyma sunt Ecclesia romana et Ecclesia catholica, ut pluribus ostendit Schrader de unitate romana l. 1. c. 1. Ita ex gr. Maximus M. in ep. ad Petrum illustrem: „Omnis qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematizat, sedem romanam i. e. catholicam Ecclesiam anathematizat.« Cf. etiam ep. 16. Felicis II.; ep. 27. Gelasii n. 7; Epiphanii ep. CP. ep. 121. ad Hormisdam n. 2.

suspicionem vocabatur, apud hanc sedem purgare se nitebantur, et hujus sedis approbationem et communionem ambiebant[1]: hinc romani pontifices fidei formulas subscribendas proponebant, quo haeretici in Ecclesiam reciperentur vel de haeresi suspecti orthodoxi haberentur[2]: hinc romanorum pontificum constitutiones decretis conciliorum oecumenicorum junguntur tamquam paris auctoritatis[3]: hinc romani praesulis sen-

1) Plurima facta adduximus in praef. opusc. 17. n. 6. s. Hinc Gelasius ep. 27. n. 4. ait, constare „semper auctoritate sedis apostolicae hujusmodi persônas aut discussas vel esse purgatas, aut sic ab aliis, quibus competebat, episcopis absolutas, ut tamen absolutio earum ex sedis apostolicae consensione penderet".

2) Praeter formulam Hormisdae, de qua supra egimus cf. ep. 5. Damasi ad Paulinum ep. antioch. opusc. 17, 193. Cf. Schrader l. c. l. 2. n. 262.

3) Ita ex. gr. Simplicius scribit Zenoni imp. ep. 6. n. 4: „Chalcedonensis synodi constituta vel ea, quae beatae memoriae praedecessor meus Leo apostolica eruditione perdocuit, intemerata vigere jubeatis: quia nec ullo modo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec ullatenus recipi toties uno undique ore damnatus." Eutychius ep. constantinop. in ep. ad Vigilium, postquam professus est se suscipere quatuor concilia oecumenica, prosequitur (Migne 69, 64): Suscipimus autem et amplectimur *et epistolas praesulum romanae sedis apo-*

tentia par censebatur ad sopiendas controversias[1]): hinc romani episcopi, quod semel de aliqua controversia authentice definiverant, ita proponebant, ut nullam de eo, ac si esset dubium, permitterent vel admitterent disputationem. Atqui fides, quae tuta sit orthodoxiae norma cum omnibus hisce consectariis, super omne dubium posita, *infallibilis* sit necesse est.

18. Praeter tot facta jam alias allata pauca haec addantur: „Et ut brevis sententiae claustello (i. e. ut paucis) cuncta concludantur, scribit Aldhelmus (709.) nomine concilii episcoporum ex tota pene Britannia Geruntio regi simulque cunctis Dei sacerdotibus per Damnonia conversantibus, frustra de fide catholica inaniter gloriatur, qui dogma et regulam sancti Pe-

---

stolicae tam aliorum quam Leonis sanctae memoriae de recta fide scriptas et de quatuor sanctis conciliis vel uno eorum.“ Hanc vero professionem plurimi episcopi Orientis subscripserunt. Hinc Vigilius initio sui Constituti mentionem facit universorum Domini sacerdotum professionum „per quos ss. patrum et venerabilium quatuor synodorum ac praesulum sedis apostolicae inhaerere definitionibus monstrarentur.“ Cf. etiam formulam Hormisdae supra n. 5. et ejus indiculum seu ep. 7. n. 4. et 6.; ep. 47. n. 2; 137. n. 2, 7; 140. n. 5.

1) Cf. opusc. 17, 13. et 23. ubi habes verba Flaviani CP. ep. ad s. Leonem ep. 26.

tri non sectatur. Fundamentum quippe Ecclesiae et firmamentum fidei principaliter in Christo et sequenter in Petro collocatum nequaquam ingruentibus tempestatum turbinibus nutabundum vacillabit, ita Apostolo promulgante: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est J. Christus* (1. Cor. 3, 11). Petro autem veritas ita privilegium sanxit Ecclesiae: *Tu es Petrus* etc. (Matth. 16, 18).« En fides cathedrae apostolicae[1]) regula est fidei.

19. Praeclarissima sunt, quae in causa Pyrrhi disputat[2]) Maximus M.: „Itaque si vult haereticus non esse, neque audire, non isti aut illi satisfaciat, superfluum quippe hoc et irrationabile est; quia sicut uno contra eum scandalizato omnes scandalizati sunt: ita quoque uno satis-

1) Cf. etiam Hormisdae ep. 9. n. 2; 97. n. 2.; Leonis ep. 69, 70., in quibus antequam Anatolii episcopi electionem approbet, exigit, ut epistolae suae ad Flavianum consentiat. Maurus episcopus ravennatensis in causa monotheletarum Martino I. scribit (Mansi 10, 883): „Nam in his, quae moventur et contra patrum orthodoxorum decreta proponuntur se non aliter sentire, nisi quomodo sancta vestra apostolica doctrina et orthodoxa tenet ecclesia.« Cf. Hieronymus ep. 130. n. 16.

2) In ep. ad Petrum illustrem ap. Migne patrol. gr. 91, 144.

facto omnes procul dubio satisfiunt. Festinet prae omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimae romanorum ecclesiae beatissimum papam, i. e. apostolicam sedem, quae ab ipso incarnato Dei Verbo sed et omnibus sanctis synodis secundum sacros canones et terminos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi.« En quantopere ambienda approbatio sedis romanae, ut orthodoxus quis possit censeri.

20. Misit Hormisda legatos suos in Orientem ad recipiendos episcopos a schismate acaciano redeuntes [1]) cum libello fidei, quem omnes, qui sedis apostolicae communionem desiderarent, subscribere debebant, sed adjecit indiculum de

---

1) Vix ullum exstat splendidius argumentum pro jurisdictionis primatu romani pontificis vel in universum Orientem hac legatione Hormisdae et gestis ab ipso pro componendo schismate acaciano. Quamplurimae epistolae ab ipso vel ad ipsum ab imperatore et episcopis orientalibus ejusque legatis scriptis huc spectant.

modo, quo se in hoc negotio gererent. Accurate illis praescribit quid admissi ad imperatoris salutationem dicerent. „Cui (imperatori) praesentati, ita Hormisda[1], salutantes literas nostras offerte, suggerentes, magnum nos de ejus imperio gaudium percepisse et nimium gratulari, quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit juxta ejus sacras literas, ut secundum ea, quae sunt ab apostolicae sedis constituta praesulibus, Deo auctore et regno ejus adnitente, ecclesiarum et pax et unitas his temporibus desiderata proveniat. Quod si vos hortatus fuerit, ut constantinopolitanum videatis episcopum, intimate vos praefinita habere, quae etiam ab eis saepe sint cognita, quae ab universis episcopis catholicam unionem amplectentibus professio debeat celebrari. Haec si episcopus constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus; si vero sedis apostolicae adhortationem sequi contemnit, quid necesse est, ut ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis aut certaminis causa in mandatis[2])?« Qua in re Hormisda secutus est

---

1) Epist. 49. n. 2. Cf. etiam indiculum seu ep. 7. et 65. n. 3., cujus verba supra p. 5. annot. laudavimus.

2) Cum autem Thessalonicae episcopi quidam vellent facere „certamina de libellis, dicentes: Sunt

exemplum s. Coelestini similia suis ad concilium ephesinum legatis mandata dantis[1]). Ita et s. Agatho legatos suos ad concilium oecumenicum cum fidei professione mittens injungit (Migne 87, 1164) „ut nihil de eis, quae regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, sed eadem et verbis et sensibus illibata custodiantur." Quod mox iterum inculcat. Et in ep. ad synodum ait, legatos debere apostolicae fidei confessionem offerre „non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut *certa* atque *immutabilia* proferre". Hinc in ep. fine sollemniter declarat: „Quicunque proinde sacerdotum haec, quae in hac nostrae apostolicae fidei confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderat, ut nostrae apostolicae fidei concordes ut consacerdotes . . . suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos catho-

---

capitula, quae debeant emendari", dixerunt legati, „non esse in potestate ipsorum hoc facere: si vultis facere (i. e. subscribere), Deo gratias; si non vultis facere, venimus, salutavimus vos, perambulamus" i. e. recedemus et abibimus. En cum quanta auctoritate egerint Hormisdae legati. Cf. supra annot. p. 34.

1) Cf. opusc. 17, 46. De examine epistolae s. Leonis in conc. chalcedonensi cf. infra ep. 40. s. Leonis ad Theodoretum (120.) cum annot. subjectis.

licae atque apostolicae confessioni perpetuae condemnationis reos esse censemus.« En romanorum pontificum decreta supra disceptationis aleam posita.

21. Censebatur c. Petrus in romano pontifice, qui pro munere suo Ecclesiam docet, loqui, docere, Ecclesiam regere atque quaerentibus praestare fidei veritatem[1]): sed profecto Petri fides nunquam deficiet: ergo nec heredis Petri, per quem veluti docet: sed romanus pontifex toties Petri heredem gerit, quoties ex primatus plenitudine agit et loquitur. Proinde nisi Petrum ipsum dicere velimus fallibilem, pontifex Petri heredem agens non errabit. Quare hac solemni loquendi forma infallibilitatis privilegium sat clare est expressum. An non illud expressit Xystus III., cum ad Joannem antiochenum ep. 6. n. 5. scribit: „»B. Petrus apostolus in successoribus suis quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter apostolos primum magister edocuit?«

22. Ad haec d. cathedra romana in damnan-

1) Plurima effata collegimus opusc. 10, 81. ss. annot. et 14, 8. s. annot., quibus hic loquendi modus penes patres vulgatus comprobatur cum consectario, quod inde inferimus. Hinc etiam saepe patres verba Christi Petro dicta immediate romanis applicant pontificibus, quia illos ut unum cum Petro considerant.

dis haeresibus primatum habuit[1]): ac plures haereses tum demum censebantur peremptorie damnatae, cum Roma locuta esset. Hinc notissima illa s. Augustini: „Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam finiatur aliquando error[2])". Similia habet Sozomenus de Macedonii errore. „Cum haec quaestio ageretur, narrat ipse[3]), et contendendi studium magis magisque in dies cresceret, episcopus urbis Romae (Damasus) scripsit ad orientales ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem ac honore gloriaque aequalem

---

1) Plurima facta et exempla collegimus opusc. t. 17. praef. n. 14.

2) Serm. 131. al. 2. de verbis Ap. Horum *commentarium* praebet s. Prosper contra collatorem c. 21: „Non ergo cum istis (pelagianis) nova acie dimicandum est, nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina. Tunc istorum machinae fractae sunt, tunc in superbiae suae locis ac principibus corruerunt, quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit: quando Pelagium ad proferendam in se suosque sententiam palaestinorum episcoporum synodus coarctavit: quando africanorum conciliorum decretis beatae recordationis papa Zosimus *sententiae suae robur adnexuit* et ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit."

3) Hist. eccl. l. 6. c. 22.

una cum occidentalibus episcopis confiterentur. Quo facto *utpote controversia judicio romanae ecclesiae terminata singuli quievere*, eaque quaestio finem accepisse visa est.« Huc referre possumus, quae colligimus ex ep. 110. Marciani imp., in nostra ed. 33., scil. vel ex eo solum pluribus dubiam fuisse Eutychis per concilium chalcedonense damnationem, quod dubia ipsis fuerit s. Leonis confirmatio. Hinc enim sicut universim sequitur necessitas confirmationis conciliorum oecumenicorum per romanum pontificem, ita nominatim colligimus, haereticorum damnationem peremptoriam reddi consensu romani pontificis. Jam vero eo ipso, quod in damnandis haereticis tantum sibi vindicet romana sedes, merito infertur, haeresim ad eam accessum habere non posse: quomodo enim ejus judicium censeri posset peremptorium et causa finita, si illud non supra omne dubium est positum, si non est infallibile? „Hoc est, inquit Gelasius[1]), quod sedes apostolica magnopere praecavet, ut quia munda radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere

1) Ep. 12. ad Anastasium Augustum n. 6.

auderemus errori vel unde correctionem errantibus posceremus?«

23. Et haec sufficiant de sensu theoretico et practico antiquitatis. Neque dicant gallicani ad horum vim elevandam, romanorum pontificum decreta habita fuisse infallibilia propter expressum vel tacitum Ecclesiae assensum, qui illa comitari solebat. Haec enim theoria, quae pluribus arrisit, quod veluti media videretur inter duo extrema et hinc ad conciliandos animos discordes aptissima, si attentius consideretur, vanam inutilemque reddit pontificis infallibilitatem, quam specie magis quam re eidem adscribit. Nám semper dubium erit, qualis assensus requiratur, ut pontificis decretum censeri possit irreformabile. Tacitusne an expressus? Et quomodo hic assensus innotescet? merito quaerere possumus. Quamdiu exspectandum erit, donec de eo certi esse possimus, praesertim si tacitus sufficiat? an per mensem, per annum, per decennium? Quantus vero requiritur? et quid faciendum in dubio de sufficientia ejusmodi assensus? Quis autem putet, a tot tamque incertis conditionibus supremi pastoris docendi authentiam pendere: nullumque erit pontificis decretum, de cujus infallibilitate dubia non possint moveri, quod haereticis vel contumacibus incertus plerumque, haud sine aliqua veri specie, vi-

debitur hic consensus: hinc nullum erit efficax ad causam controversiamque finiendam[1]).

24. Ad haec omnia argumenta accedit invictum illud, quod ex dogmatum analogia atque ex primatus fine derivavimus. Quae si accurate omnia expendantur, manifesto apparebit dogma hoc catholicum longe majori argumentorum numero, pondere et splendore muniri, quam plura alia dogmata[2]). Fateor quidem multa quoque contra illud excipi, sed quodnam est dogma, contra quod non multa opponi soleant? atque haud pauci fidei catholicae sunt articuli, contra quos forte plures gravioresque opponi possint exceptiones: his tamen non obstantibus inconcusse a quovis creduntur catholico. Quot testimonia

---

1) Kleutgen l. c. §. 4. Ad rem concilium burdigalense a. 1850. tit. IV. c. 1: „Confitemur etiam judicium romani pontificis, ut sit ratum et firmum, non indigere assensu aliarum ecclesiarum: tali enim assensu exspectato janua aperiretur pervicaciae novatorum, qui nunquam sufficienter probatum aut manifestatum contenderent ecclesiarum ipsos condemnantium sensum, ut funesta saepius constitit experientia.“ Quo nil verius: pateret semper effugium ad evadendam omnem damnationem ipsaque praerogativa redderetur omnino illusoria.

2) Cujusmodi ex gr. sunt, ea quae spectant canonem Scripturarum, plura sacramenta, visionem beatificam jam ante corporum resurrectionem etc.

sat implexa et difficilia afferuntur a socinianis contra Christi divinitatem e patrum antenicaenorum operibus, imo ex ipsis divinis literis, et tamen Christus est Deus. Quot patres, imo concilia adversari videntur canoni s. Scripturae Tridenti proposito, et tamen unice legitimus est. Adversus dogma de eucharistia quot arma petuntur sive e quorundam patrum scriptis sive e rationis penu, sed tamen ea est vera substantialisque caro Salvatoris nostri. Mirum ergo esse non debet, si pro cujuscunque dogmatis catholici conditione et fides de romani pontificis infallibilitate a difficultatibus non sit immunis: hae augebunt fidei meritum, nunquam demonstrabunt ejus falsitatem.

25. Interim Deo gratiae sunt agendae, quod difficultates contra pontificis infallibilitatem longe pauciores et minores sint, quam contra plura alia dogmata catholica. Cum vero praecipua, quae contra definitionem vaticanam excipi possint, jam in antecessum collegerit Döllinger, sufficiet haec expendisse, sed pluribus jam ex dictis responsum est. Jactat quidem 1. ex Ecclesia orientali neminem pontificis agnovisse infallibilitatem: sed orientales erant illi episcopi, qui subscripserunt formulae Hormisdae, orientales erant Theodorus Studita, Maximus confessor, Sergius cypriensis, Stephanus dorensis etc.,

quos supra audivimus. Quod si contendat, hos diserte hanc sententiam non tueri, reponimus, sufficere quod aequivalenter eam enuncient. Ceterum nescio utrum vel unus patrum orientalium *diserte* significet conciliorum oecumenicorum infallibilitatem, quae certe illis dubia non fuit. Idem reponimus assertioni audaci, neque ex Ecclesia occidentali testimonia indubia afferri posse. Legantur siquidem nn. 12, 13, 16, 18, 21.

26. Opponit 2. quod inter nullius antiquioris haeresiarchae errores ille numeretur de improbata pontificis infallibilitate, quam profecto facto ipso negarunt. Sed neque inter alicujus haeretici errores ille recensetur, quod conciliorum oecumenicorum infallibilitatem negaverint; verum sicuti plures idcirco habiti sunt haeretici, quod horum conciliorum definitiones reprobaverint, ita plures quoque habiti sunt haeretici, quod a romanis pontificibus damnati morem non gesserint [1]. Hinc in formula Hormisdae universim

---

1) Cf. verba Isidori hisp. ep. 6. n. 2. (cujus genuinitatem tuetur Arevalus in Isidorianis c. 74.) epist. 10, 18. quae haud incongrue huc referuntur. Et quamvis ibidem n. 3. addat: „Si vero (quod absit) infidelis sit non manifeste, in nullo laeditur obedientia nostra, nisi praeceperit contra fidem.“ Ex his enim non necessario consequitur, Isidorum [illegible] posse aliquid [illegible]

enunciatur, non consentientes sedi apostolicae sequestratos esse habendos a communione Ecclesiae catholicae.

27. In patrum scriptis, opponit 3. Döllinger, quae agunt de regula fidei et Ecclesiae auctoritate, in scriptis Tertulliani, Cypriani, Augustini, Gennadii et Vincentii Lirinensis nunquam mentio occurrit hujus praerogativae ut medii percommodi ad dirimendas controversias: omnes hi patres cognoscunt tantum traditionem triplici dote praeditam *antiquitatis*, *universalitatis*, *consensionis*. Verum a. negamus patres nunquam mentionem facere supremae docendi auctoritatis episcopi romani, tamquam medii expediti ad dirimendas controversias tutoque agnoscendam sinceram doctrinam. Huc spectant verba Irenaei[1]), consilium Fulgentii Ferrandi Severo scholastico (n. 16.), Theodori Studitae Leoni

niter definire contra fidem, imo id excludit, cum concedat tantum, eum esse posse infidelem sed *non manifeste*. Praeceptum autem contra fidem per se non est definitio ex cathedra et locum habere posset in romano pontifice nonobstante ejus infallibilitate, quae tantum excludit praeceptum *universae* impositum Ecclesiae contrarium fidei vel bonis moribus ac proinde inducens ad peccatum.

1) Cf. Opusc. 10, 17.

sacellario (supra p. 7. annot. prima) et Petri Chrysologi Eutychi datum[1]; Augustini gaudium de finita responso romano causa pelagiana (supra n. 22.); Sergii cypriensis confessio (supra n. 9.), Maximi M. disputatio in causa Pyrrhi (supra n. 19.) et ejus epistola (supra n. 9) et Flaviani insigne testimonium (infra n. 29). Neque solum b. theoretice patres hoc insinuant medium, sed persaepe eo in dubiis sunt usi, ut jam pluribus factis ostendimus[2]. Quod vero c. nominatim Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Gennadium et Vincentium lirinensem spectat, advertimus ex his saltem tres, Tertullianum scil., Cyprianum et Gennadium neque concilii oecumenici mentionem facere, quin propterea sequatur, hoc non esse medium sive efficax sive infallibile ad dirimendas controversias. Augustinus vero suo exemplo in causa pelagiana hoc probavit medium: quare horum patrum in quibusdam scriptis silentium non aequivalet negationi, sed probat tantum eos vel noluisse scribere disputationem de contro-

---

1) Opusc. 10, 81. annot. Cf. etiam supra n. 16.

2) Opusc. t. 17. p. 4. ss. et supra n. 16. Cf. etiam verba Possessoris supra n. 8. et Bernardi supra p. 8. annot. secunda. Huc pertinent praeclarissimae Hieronymi ad Damasum epistolae in nostra edit. 2, 3. opusc. 11.

versiarum judice, vel eos hoc argumentum non exhausisse, quod in omni fere argumento verum est: nullum enim forte undequaque tractarunt singulari aliquo in libro, sed tantum pro opportunitate data et sub aliquo tantum respectu. Verum est d. Vincentium lirinensem statuere[1]: »In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum . . . Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem.« Porro hic canon verissimus est sensu *affirmante*: doctrina scil. hisce characteribus insignis, certe est dogma fidei catholicae: non tamen verus est sensu excludente, ita ut ad fidei depositum nihil pertinere possit, quod non ubique et ab omnibus semper *explicite* creditum sit: plura enim sunt dogmata catholica, quae ante Ecclesiae definitionem non ubique et ab omnibus semper fuerunt explicite credita[2]), alioquin ejusmodi definitiones plerumque non fuissent necessariae. Ceterum si regulae hujus sensus in contextu ipsius commo-

1) Commonitorii c. 2. opusc. 9, 150.

2) Prae oculis habeantur dogmata de valore baptismi ab haereticis collati, de canone Scripturae, de sanctorum visione beatifica ante corporum resurrectionem etc.

nitorii quaeratur, nihil aliud exhibetur, quam duplex nota, utraque sufficiens ad dignoscendam apostolicitatem doctrinae, consensus videlicet praesens Ecclesiae et consensus antiquitatis qui exstitit scil. ante exortam controversiam[1]).

28. Quae vero 4. opponit Döllinger responsum vix merentur. Contendit enim hanc sententiam nonnisi ad finem vergente sec. 13. per s. Thomam eumque spuriis testimoniis deceptum in theologiam scholae fuisse inductam, ac theologos deinceps mercibus pseudoisidorianis antiquitatis auram illi conciliasse. Verum a. tam antiqua est haec doctrina, quam antiqua verba: *Tu es Petrus* etc. seu generatim promissa Christi Petro facta, quorum vim nunquam con-

---

1) Cf. Franzelin, tract. de divina traditione thesi 24; Kleutgen n. 7., qui Vincentii sententiam ita paucis explicat: „Itaque secundum s. Vincentium, ut teneamus veram fidem, aut quaerendum nobis est, quid hoc ipso tempore plerique omnes, paucis dissentientibus, credant; aut si dissensus magnus est, quid a majoribus communiter creditum sit. Tantum vero abest, ut doceat nihil pertinere ad fidem catholicam, aut nihil ab Ecclesia definiri posse, nisi quod semper ab omnibus creditum sit et credatur, ut nos tum quoque Ecclesiae judicium exspectare jubeat, cum neque nostro tempore consensus habetur, nec majorum consensus aliquis reperitur.“

vellent adversarii: hinc b. s. Thomas hanc fidem non invexit, sed in Ecclesia jam reperit. Non confictus est c. textus Luc. 22, 32., cui in primis innititur s. Thomas in probanda pontificis infallibilitate[1]). Nonnisi *praecipitanter* d. affirmatur textus illos patrum, quibus Thomas utitur in opusculo adversus graecorum errores, esse confictos et spurios[2]). Non diffitemur theologos in probando hoc dogmate usos subinde esse textibus spuriis, sed inscitia vel calumnia esset affirmare, eorum argumenta inniti *tantum* textibus confictis; innituntur enim verbis Christi, dogmatum analogiae innumerisque patrum effatis prorsus genuinis, quorum multa in hac praefatione invenies.

29. Excipit 5. historiam Ecclesiae per decem priora secula fore aenigma in hypothesi infallibilitatis romani pontificis, cum ad dirimendas controversias non ad sedem apostolicam provo-

---

1) 2, 2. q. 1. a. 10. Cf. etiam a. 2. a. 6. ad 3. et in expositione n. 9. symboli apost. opusc. t. 6. p. 238.

2) Uccelli in opusc. *Dei testi esaminati da s. Tomaso d' Aquino nell' opusculo contro gli errori dei greci relativamente all' infallibilità pontificia* textuum, quibus usus est s. Thomas, vindicat genuinitatem. Cf. Katholik 1871. fasc. mensis Augusti p. 214. ss.; Wieser §. 29.

catum fuerit, sed convocarentur synodi oecumenicae, licet harum celebratio cum tot conjuncta esset incommodis. Sed a. concessa pontificis infallibilitate synodi universales persaepe possunt esse summae utilitatis[1]: tum quia pontifex non ex tripode et pro arbitrio definire potest, quid divinitus sit revelatum, sed diligenti facta in traditionem divinam inquisitione: ad hanc autem peropportuna est mutua episcoporum undique congregatorum collatio: tum quia obortis magnis dissidiis et turbis promptius et efficacius est remedium mutuum pastorum Ecclesiae consilium et colloquium, cum ipsorum praesertim sit decreta in bonum Ecclesiae edita executioni mandare: tum quia tot venerandorum patrum unanimis sententia et definitio magis moveat titubantium in fide mentes, magisque confundat haereticorum perfidiam osque eorum obturet, quam unius episcopi romani licet infallibilis auctoritas, praesertim cum hujus infallibilitas nondum fuerit penes omnes super omne dubium posita. Hinc b. vel ipsi apostoli, licet singuli essent infallibiles, in synodum convenere, in qua facta est *magna conquisitio* (Act. 15, 7); hinc videmus pontifices ipsos concilia oecumenica convocasse et quidem eo tempore, quo secundum

---

1) Cf. Wieser §. 23.

ipsos adversarios praevaluit jam haec doctrina scil. medio aevo, ac Pium IX., licet jam solemniter asserta fuerit primatui infallibilitas, concilii vaticani continuationem ardenter desiderare. Ceterum c. falsum est, antiquitus creditum fuisse solum conciliorum auctoritate legitime componi posse dissidia et quaestiones de fide: agnovit hoc jus antiquitas etiam in romano pontifice. Plura facta suis locis jam adduximus [1]). Accipe alia. Orta est tempestas Constantinopoli propter Eutychis haeresim. Totum negotium s. Flavianus exponit Leoni ac ita literas suas [2]) absolvit: „Commotus igitur, sanctissime Pater, ob omnia, quae ausus est et propter ea, quae adversus nos sanctissimamque Ecclesiam facta sunt atque fiunt, solita fiducia utere, sicut sacerdotio convenit, et vindicans communem rem sanctarumque ecclesiarum compositionem, dignare per proprias quidem literas suffragari depositioni canonice adversus eum factae; confirmare vero et piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio [3]), quod per

1) Cf. opusc. t. 17. p. 4. ss. p. 33. ss. et supra n. 6, 8, 9, 10, 16—22, 27.

2) Ep. 26. Quae vero Flavianus scribit, approbat s. Leo ep. 36. et 37.

3) Graece: *Μόνης γὰρ τὸ πρᾶγμα δεῖται τῆς παρ' ὑμῶν ῥοπῆς καὶ ἀντιλήψεως.*

vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quae insurrexit haeresis, et ob eam excitatus tumultus facile cessabit, Deo cooperante, per vestras sacras literas: prohibebitur vero et quae evulgatur futura esse synodus: ut ne sanctissimae totius orbis ecclesiae perturbentur.« Relatis turbis monotheleticis ita prosequitur Martinus I. in concilio lateranensi[1]): „Quibus pene omnibus omnem mundum conturbantibus atque sollicitantibus, necessitate compulsi ex diversis locis querelas contra eos seu accusationes *ad apostolicam nostram sedem* plurimi orthodoxi detulisse monstrantur, et tam in scripto deprecantes et conjurantes, quamque in cominus positi postulantes, ut totius mali tantaeque eversionis *per apostolicam sedem* abscindatur commentum, quatenus minime totum corpus catholicae Ecclesiae nocibilis eorum ectheseos languor disrumpere valeat.« Imo in sua epistola encyclica testatur[2]): „Et majus est dicere, ge-

---

1) Secret. 1. apud Mansi 10, 879. Inter hos orthodoxos fuit etiam s. Sophronius ep. hierosolymitanus.

2) Mansi 10, 1174. Cf. etiam ib. 903. ss. supplicationem abbatum, presbyterorum et monachorum ex oriente ad Martinum I. recurrentium „quoniam omnium corda post Deum in vos pendent, *summum*

neralitates synodorum per sua scripta non solum invitantes emendare propriam haeresim, sed et nos ipsos i. e. apostolicam sedem conjurantes et protestantes erigere secundum regularem auctoritatem, et non usque ad finem per tot tempora permittere contrariorum novitatem sanctas Dei catholicas depasci ecclesias.« Cum monachi scythae in Oriente turbas excitarent propter formulam: *Unus ex Trinitate crucifixus est*, ad sedem apostolicam recurrerunt ipsi et catholici, inter quos etiam Justinianus (nondum imperator): »Petimus, rogat ipse Hormisdam[1]), ut si possibile est, celerrimo dato responso et satisfactis religiosis monachis Joannem et Leontium ad nos remittatis: nisi enim precibus et diligentia vestra ista quaestio soluta fuerit, veremur, ne non possit ecclesiarum sanctarum pax provenire.« Et iterum in alia epistola scribit[2]): »Post semel divina misericordia donatam Ecclesiae catholicae unitatem quidam asserunt, Chri-

---

ecclesiarum scientes vos *caput* a Christo Deo nostro praepositum;« epist. Victoris ep. carthag. ad Theodorum papam, ib. 947; orientalium ad Hormisdam ep. 39.

1) Epist. 89. inter ep. Hormisdae ed. Thiel et Migne 63, 476.

2) Ep. 99. et apud Migne 63, 476. Cf. etiam ep. 120, 127, 132, 135. ejusdem Justiniani.

stum Dei D. N. pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere praedicari: quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur . . . Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis pater, *etiam in hoc praedecessores vestros sequentes*, quorum memoriam et amplectimini et consortio pontificatus ornatis, et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. ***Hoc** enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum* ... Haec enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur: quoniam summo cum desíderio fidem catholicam complectentes *vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari.*" Quid hisce praeclarius? Ipse imperator Justinus ad Hormisdam recurrit scribens[1]): „A nobis destinabitur quidam ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus et insinuandas vobis supplicationes, quae nobis oblatae sunt (pro fide catholica ex diversis provin-

1) Ep. 108. et ap. Migne 63, 480. Cf. etiam ep. 116. ejusdem imperatoris et 130. Epiphanii episcopi CP.

ciis), et responsum pietatis vestrae referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruae.« Hinc Carolus M. romanam ecclesiam his commendat verbis: „Omnes catholicae debent observare ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant, quae non habens maculam nec rugam et portentosa haeresum capita calcat et fidelium mentes in fide corroborat.«

30. Negat 6. doctrinam de infallibilitate romani pontificis consequi logica necessitate ex aliis doctrinae revelatae capitibus, sed his potius adversari, cum doctrina fuerit antiqua, infallibilitatem nonnisi Ecclesiae competere universali. Sed hoc dogma logica necessitate ex aliis doctrinis revelatis consequi saepius jam ostendimus[1]): hinc adversari nequit antiquae doctrinae, ut supponit, non probat adversarius. Quod si affirmatur, Ecclesiam *universalem* supra petram fundatam esse infallibilem, non excluditur *petrae* infallibilitas, sicut hac asserta aedificii firmitas non negatur: sed haec perbelle cohaerent.

31. Melius fuisset 7. si Döllinger non provocasset ad synodum hierosolymitanam, in qua quaestio de legalibus peremptorie non dirempta fuit

1) Opusc. t. 14. p. 9. et supra n. 4—7.

a Petro, sed communi consilio secundum Jacobi sententiam. Ut enim hinc aliquid inferatur, supponi debet, ne Petrum quidem fuisse infallibilem, quod puto penes theologos catholicos auditum nunquam est.

32. Etiamsi 8. concederemus, quod tamen sibi contradicens affirmat Döllinger[1]), conciliorum oecumenicorum decreta dogmatica jam ante pontificiam confirmationem vim habuisse obligandi, nihil propterea sequitur contra romani praesulis infallibilitatem: sequeretur tantum, praeter pontificem etiam concilia oecumenica hac potiri praerogativa. Sed negamus horum conciliorum decreta esse ante pontificis confirmationem peremptoria. Contrarium patet vel ex concilii chalcedonensis gestis[2]).

33. Majoris momenti est, quod 9. excipit, romanorum pontificum epistolas in conciliis examini fuisse subjectas: hinc non fuisse habitas infallibiles: sed responsum habes[3]) in annot. ad ep. 120. (in nostra ed. 40.) s. Leonis ad Theo-

---

1) Kirchengeschichte 1, 177, 180.

2) Cf. infra ep. 33. Marciani imper. in ed. Baller. 110. cum annot. subjectis; 36. in edit. Baller. 114., et annot. ad ep. 46. in ed. Baller. 164. c. 3.; et opusc. t. 17. p. 46. ss.; Wieser §. 24.

3) Cf. etiam supra n. 20; Wieser §. 25.

doretum c. 1. Nihil pariter addendum est sive argumento, quod deduximus ex verbis Christi Luc. 22, 31., quae ipsi (10) nonnisi adversus omnes hermeneuticae regulas universaeque traditionis suffragium intelligi posse de romani pontificis infallibilitate videntur, sive illationi ex Irenaei testimonio[1]), quod ipse (11) praeeuntibus protestantibus sibique contradicens misere in alienum detorquet sensum[2]).

34. Sed (12) Cyprianus cum episcopis africanis Stephani rejecit definitionem in quaestione de valore baptismi ab haereticis collati, et tamen vel Romae jam olim sanctus habitus est: ipseque Augustinus Cyprianum non aliter excusat, quam quod ejus tempore haec quaestio nondum fuerit concilii universalis auctoritate dirempta: non agnovit ergo Cyprianus neque Augustinus Stephani sententiam tamquam peremptoriam. Verum a. decretum s. Stephani non fuit fidei definitio[3]), sed praeceptum de ser-

---

1) Opusc. t. 10. p. 17.

2) Geschichte der christl. Kirche 1, 365. ss. Cf. praeclarum lib. Neue Erwägungen über die Frage der päpstl. Unfehlbarkeit aus den anerkannten historischen Werken Döllinger's urkundlich zusammengestellt, Regensburg 1870.

3) Haec saltem est quorundam theologorum sententia. Cf. Thomassini diss. 2. de conc. n. 24.

vanda consuetudine tradita, quare hoc factum minus est ad rem. Ad haec b. Cyprianus restitit non soli s. Stephano, sed universae fere Ecclesiae, quae romani episcopi sequebatur praxim; jam vero universalis Ecclesia vel hujus major pars cum unitatis centro conspirans ex cujuscunque catholici theologi sententia est infallibilis: ergo si hoc factum aliquid probaret, sequeretur Cyprianum negasse vel Ecclesiae infallibilitatem. Ceterum c. Cyprianus licet sanctus et sanctissimus renitendo decreto s. Stephani graviter in fide erravit, errore, quem forte bona fides excusavit. Hinc sicuti ex resistentia s. Cypriani contra dogma catholicum de valore baptismi ab haereticis collati non sequitur hoc esse falsum, ita etiamsi s. doctor practice seu ipso facto romani pontificis negasset infallibilitatem, non sequeretur hanc esse rejiciendam. Exemplum tibi sit, quantum quis erret, qui renititur decretis romani pontificis. Idcirco vero d. Augustinus, qui alioquin Cyprianum non ab omni culpa liberat[1]), concilii defectum ad eum

---

et suaderi potest ex ipsis, quae supersunt, Stephani verbis, quae praecepti, non definitionis formam prae se ferunt. Cf. dissertationem apud Migne 3, 313. Ita sentit etiam Franzelin de traditione thesi 8. in annot.

1) Hinc Augustinus sollicite inquirit in modum,

excusandum urget, quod contra donatistas agat, qui, licet controversia jam in concilio plenario secundum Augustinum authentice ventilata et definita esset, catholicam veritatem impugnare pergebant, in quo certe minus venia et excusatione erant digni[1]). Quanti autem fecerit s. Augustinus cathedrae apostolicae definitionem, patet in causa pelagiana[2]), in qua neque censuit s. doctor necessariam esse synodi congregationem.

35. Jam accedamus ad adversariorum Achillem (13), ad Honorii damnationem[3]), quam universa Ecclesia, ipsi romani pontifices receperunt. Quid de hac tenendum sit, ad quaedam revocabimus capita. Praetermissa 1. quaestione

---

quo tantus episcopus pro sua agendi ratione haud laudabili satisfecerit. Cf. annot. 2. opusc. 9, 163.

1) Cf. Wieser §. 11.

2) L. 4. c. duas epist. Pelag. c. 12. n. 34. et c. Julianum l. 1. c. 4. Cf. Thomassini de conciliis diss. 2. n. 24. ss.; Ballerinios de vi ac ratione primatus rom. pontificum c. 13. §. 9.

3) Admiranda est divina providentia, quae tot seculorum lapsu ita sedem apostolicam protexit, ut dum reliquae sedes patriarchales misere lapsae sint in errores, haeresim, schisma, romana sedes impervia fuerit omni haeresi, adeo ut adversarii ex tot pontificibus vix uni erroris maculam inurere possint, a qua tamen et hic pronunciandus est liber.

sive de genuinitate epistolarum Honorii ad Sergium sive de actorum concilii VI. integritate, utraque etiam concessa omnino certum est, Honorium nullam ex cathedra edidisse definitionem, ut patet a. ex consensu gravissimorum theologorum non solum antiquorum, sed et recentiorum, non solum romanorum, quos ultramontanos dicere solent, sed et gallicanorum[1]: ut patet b. ex defectu promulgationis, nam Honorii literae usque ad pontificis et Sergii obitum erant ignotae[2]; ubi autem deest promulgatio, quomodo dici potest romanum pontificem omnium christianorum pastoris ac doctoris munere fungi et doctrinam de fide vel moribus *ab universa*

---

1) Cf. ex. gr. Nat. Alexander Hist. eccl. diss. 2. in sec. 7. prop. 2.; Roncaglia in animadversionibus subjectis; Thomassini diss. 20. in Conc. VI. n. 18. ss.; Ballerinii c. 15. §. 9. n. 35; Regnier de Eccl. Christi Sect. 3. c. 3.

2) Sergius saltem quoad vixit non videtur unquam provocasse ad Honorii literas ad suos asserendos errores, sed primum iis abusus est Pyrrhus, ut colligimus ex verbis Joannis IV., quae infra habes, quod mox scandalizavit omnes occidentales partes. Imo epistola altera ad Sergium primum videtur fuisse prolata in concilio oecumenico VI. Mirum quoque est per 40 annos et ultra usque ad concilium VI., licet saepius fuerit discussus error monotheletarum et etiam damnatus, de Honorio nullam fieri mentionem, vel si fit mentio, eum ab omni excusari errore,

Ecclesia tenendam definire, in quo tantum casu infallibilis pronunciatur? Patet c) ex ipsis Honorii verbis (ep. 2): „Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare etc"; et ep. priori: „Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis." Hinc nullibi praecipit, sed hortatur tantum et consulit abstinendum esse a *vocabulo* unius vel duplicis voluntatis: neque enim d) Sergius postulaverat aliquam fidei definitionem, sed tantum silentii oeconomici quoad voces unius vel duplicis operationis approbationem. Colligitur e. ex literis Agathonis ad Constantinum imp., in qua testatur romanos pontifices nunquam destitisse hortari episcopos constantinopolitanos „ut a pravi dogmatis errore saltem tacendo desisterent[1]", quibus manifesto respicit Honorii epistolas: nihil proinde definivit[2]) Honorius, sed tantum silentium commendavit.

---

1) Migne 87, 1172.

2) Alias rationes, quare Honorii epistolae non contineant definitionem ex cathedra, proponit Orsi de irreformabili rom. pontificis judicio t. 1. p. 1. c. 22. a. 2. §. 1. Cf. etiam Wieser §. 20.

36. Sed praeterea 2. Honorii epistolae nullum continent errorem contra fidem. Hoc colligitur a. ex authentica interpretatione Joannis abbatis, cujus opera usus fuerat Honorius in conscribendis illis literis[1]), et Joannis IV., qui apologiam scripsit pro Honorio, in qua inter alia legimus: „Quantum enim ex diversis suggestionibus, quae ad nos catervatim venerunt, quinimo et ex ipso quoque auditu didicimus, omnes occidentales partes scandalizatae perturbantur, fratre nostro Pyrrho patriarcha

---

1) Hinc s. Maximus in disput. cum Pyrrho (Migne patrol. gr. 91, 327): „Quis fide dignus istiusmodi epistolae interpres, is qui eam ex persona Honorii scripsit, cum et adhuc vitae superstes sit, ac qui cum aliis suis virtutibus pietatis dogmatibus omnem Occidentem illustrat, an ii, qui Constantinopoli loquuntur quod in mentem venit?" Respondet Pyrrhus: „Qui hanc composuit." „Is igitur ipse, prosequitur Maximus, cum ad sanctum Constantinum imp., ex persona rursus s. Joannis papae de hac epistola scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis duntaxat. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, respondit: Unam voluntatem diximus, Christum, non duas contrarias voluntates habuisse, carnis scil. et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter ejus humanitatem insigniret."

per literas suas huc atque illuc transmissa-nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae Honorium papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici patris erat penitus alienum.« Explicat dein quo sensu Honorius duas videatur negare in Christo voluntates, cujus explicationis haec est summa: »Praedictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus mentis et carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eam voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.« Hunc in sensum Honorium intellexit insignis tunc temporis fidei propugnator s. Maximus confessor, qui Pyrrhum adegit, ut fateretur[1]): »Meus decessor (Sergius) vocis errore deceptus, hoc (quod Honorius scripsit) simplicius accepit.« Hunc in sensum Honorium intellexisse dicendus est et Agatho, alioquin non toties solemniter-

1) In disp. cum Pyrrho, Migne 91, 330. Fusius Honorium tuetur et explicat idem Maximus in tomo dogmatico ad Marianum presb. ib. p. 238. ss. Mirum est post haec omnia esse aliquos, qui hanc Honorii sententiae explicationem admittere noliut.

que in sua ad Constantinum imp. epistola inculcaret, romanam ecclesiam „*nunquam* a via veritatis in *qualibet* erroris parte deflexam esse.« Neque mirum b. quum id pateat ex ipsis Honorii literis. Satis clare enim proponit doctrinam catholicam, cum scribit (ep. 2): »Pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: et pro duabus operationibus ablato geminae operationis vocabulo [1]) ipsas potius duas naturas i. e. divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobis praedicare propria operantes.« Si enim caro i. e. natura humana propria operata est et inconvertibiliter fuit assumpta, ea operata est operatione humana: nam natura humana carens propria operatione maxime est conversa et facta alia: evidenter igitur agnoscit Honorius in Christo praeter operationem divinam etiam humanam, proinde duplicem operationem. Quod vero, cum in Christo unam tantum videtur agnoscere voluntatem, non ex-

1) Ergo si Honorius erravit, non erravit circa *rem*, dogmatis substantiam, sed circa modum loquendi, quod timens de *vocabulis* altercationem maluerit, ut abstineretur a *vocabulis* unius vel duplicis operationis, contentus ea fidei formula, qua *virtute* continetur duplicis operationis confessio.

cludat quamlibet voluntatem humanam praeter divinam, sed tantum duas voluntates contrarias sibique repugnantes, tantum voluntatem carnis, concupiscentiam repugnantem tum voluntati divinae tum voluntati rationali, adeo clare colligitur ex Honorii verbis, ut mirum sit potuisse aliquos hac de re dubitare. „Unde et unam voluntatem fatemur D. N. J. Christi, inquit ipse ep. priori, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa[1]): illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata[2]) . . . Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi menti ejus, sed venit quaerere et salvare quod perierat i. e. vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris aut voluntas diversa[3]) non fuit vel contraria Salvatori,

1) Atqui natura essentialiter includit voluntatem *rationalem*, neque enim hanc habet natura propter culpam: ergo assumendo naturam, non culpam, assumpsit voluntatem rationalem.

2) Atqui natura humana ante lapsum praedita erat voluntate rationali, caruit vero concupiscentia repugnante legi mentis: hanc incidit per lapsum, unde in se experitur duplicem veluti voluntatem contrariam (Rom. 7, 15. ss.). Ergo assumendo naturam humanam qualis fuit ante praevaricationem, non vitiatam, assumpsit quidem voluntatem, non vero concupiscentiam.

3) Ergo voluntas diversa, qua caruit Christus,

quia super legem natus est humanae conditionis[1]).« Quot incisa, tot fere argumenta pro hac interpretatione.

37. Quare 3. anathema a concilio VI. in Honorium dictum non propter errorem, quem docuerit, latum in illum censeri debet, sed propter *consilium* illis in adjunctis admodum imprudens datum, quo haud parum errorem promovit monotheleticum. Et etiamsi forte patres concilii aliud intenderint, hunc tantum in sensum anathema est authenticum. Nam cum patres concilii potuerint tantum de Honorio judicare consentiente sede apostolica, ut significat Hadrianus II. in epistola in concilii oecumenici VIII. act. 7. lecta[2]), synodi judicium eatenus tantum

---

est idem ac lex in membris: sed lex in membris non est voluntas rationalis, sed concupiscentia: hac ergo, non illa caruit.

1) Haec supernaturalis nascendi conditio eximere quidem potuit a concupiscentia, a rebelli lege membrorum, nunquam vero a voluntate rationali. Cf. Franzelin de incarn. th. 40.

2) Ita enim scribit: »Romanum pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi vel pravos sensus libere respuendi: quamvis et ibi nec

erit decretorium, quatenus confirmatum est ab eadem sede. Jam vero quo sensu sedes apostolica hoc approbaverit judicium, docet nos Leo II. ad Hispaniae episcopos scribens: „Aeterna condemnatione multati sunt Theodorus, Cyrus, Sergius etc. cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis non ut decuit apostolicam auctoritatem incipientem exstinxit, sed negligendo confovit[1])".

38. Hinc 4. ut candide fatear, quod sentio, conferri potest haec condemnatio non una de causa cum illa reprehensione, qua Paulus in causa legalium *in faciem Cephae restitit, quia reprehensibilis erat* (Gal. 2, 11). Sicut enim Petrus neque a. erravit in fide; neque b. peccavit objective aliquid illicite agendo (legalia

---

patriarcharum nec ceterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primae sedis pontificis consensus praecessisset auctoritas (Mansi 16, 126)."

1) Eodem modo Honorii culpa exprimitur et in ep. s. Leonis II., qua concilium confirmat: „Hanc apostolicam ecclesiam *non* apostolicae traditionis doctrina *lustravit*, sed profana proditione immaculatam maculari *permisit*;" et in ep. ad Ervigium: „Immaculatam apostolicae traditionis regulam *maculari consensit*;" et in professione fidei, quae habetur in *diario rom. pontificum*: „Pravis eorum assertionibus *fomentum impendit*".

enim servare tunc adhuc erat licitum): imo c. nec subjective, cum servare legalia esset licitum atque ipse in his servandis duceretur motivo honesto, solicitudine pro judaeis ipsi specialiter concreditis (ib. v. 8.): sed d. idcirco reprehensibilis erat, quod ejus agendi ratio illis in adjunctis minus esset prudens, imo et gentibus recens conversis noxia: colligebant enim hac ex agendi ratione principis apostolorum, observationem legalium esse necessariam, quae persuasio multos remorari poterat ab amplectenda fide: ita Honorius reprehensibilis erat non propter errorem in fide, sed propter imprudens consilium silentio premendi vocabula unius vel duplicis operationis in Christo, quod admodum fovebat monotheletarum errorem tunc gliscentem [1]). Sed hactenus de Honorio.

39. Affirmat ulterius (14.) Döllinger, nostrum dogma consectarium esse axiomatis illius:

---

1) Attenta Honorii virtute et sanctitate, quam plures scriptores fide digni testantur (cf. insigne epitaphium Migne 80, 1000.) excusari forte poterit vel a gravioris negligentiae culpa. Ceterum plura cf. apud Schneemann, Studien über die Honoriusfrage; Katholik 1861. t. altero p. 675. ss.; Scheeben, das ökumenische Conzil t. 2. p. 91. ss., Ratisbonae 1870; Civiltà Cattolica 1869. t. 9. p. 431. ss.; 549. ss.; t. 10. p. 415. ss.

Prima sedes a nemine judicatur: hoc autem ignotum fuisse primis quinque Ecclesiae seculis et nonnisi documentis inniti spuriis. Sed a. negamus hujus praerogativae fundamentum esse illud axioma, innititur enim verbis Christi Matth. 16, 18; Luc. 22, 31; Joan. 21, 15. ss. aliisque argumentis, neque nos hoc usi sumus axiomate: imo b. hoc axioma consequitur sponte sua infallibilitatem, non vero (saltem non adeo clare et necessario) infallibilitas hoc axioma: si enim prima sedes est infallibilis, manifestum est, eam superiori non esse obnoxiam tribunali: ex eo vero quod aliquod tribunal non judicetur i. e. superiori non sit obnoxium, non sequitur illud esse infallibile. Falsum vero est c. axioma illud esse inauditum primis quinque Ecclesiae seculis, nam notum jam erat Ennodio, qui in libello apologetico pro synodo palmari a. 501. (quem jubente synodo romana a. 503. exaravit et numerosa synodus approbavit atque inter monumenta Ecclesiae publica solemni modo retulit) ita scribit: „Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare: sedis istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit b. Petri apostoli successores coelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam etc.“ Noverat illud synodus ro-

mana[1]) a. 501.; expressit illud Avitus viennensis nomine episcoporum Galliae[2]); noverant illud jam Bonifacius, Zosimus et Gelasius[3]). Denique d. negamus hoc axioma spuriis inniti monumentis; innititur enim primatus praerogativa, qualis haec in divinis literis et in traditione delineatur.

---

1) In ep. Symmachi 5. n. 2, 9, 10. et relatione episcoporum ad regem apud Thiel p. 676.

2) Ep. 31. quae tota est de hoc argumento, in qua inter alia legimus: „Non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri praecepto apostolus clamet (1. Tim. 5, 10) accusationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in praecipuum generalis Ecclesiae criminationibus licere censendum est? Quod synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens causam, quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pene temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini . . . . Sed et in sacerdotibus ceteris potest, si quid forte quod vocaverat reformari; at si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur, non episcopus vacillare . . . Ceterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis.“ Quod autem ineunte sec. 6. episcopis Galliae visum est evidens et sponte sua notionem supremi pastoris consequens, profecto non fuit inauditum prioribus Ecclesiae seculis.

3) Cf. supra n. 12. Cf. Thomassini diss. 15. de conciliis; Wieser §. 28.

40. Provocat Döllinger (15—17.) ad concilium constantiense et basileense, quae docuerunt romanum pontificem in rebus fidei et morum conciliis oecumenicis esse obnoxium: doctrina autem haec e diametro adversatur pontificis infallibilitati. Verum de concilio constantiensi haec teneantur: a. decreta sess. 4. et 5. prodiisse schismate adhuc vigente ab una obedientia Joannis XXIII. pontificis admodum dubii et quidem post ejus recessum: b. non prodiisse conciliariter, sed praeter morem et consuetudinem, seclusis cardinalium suffragiis, admissis ad suffragia etiam clericis et laicis, latis suffragiis secundum nationes[1]). Neque c. haec decreta approbata fuere a Martino V., qui declaravit se „omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei per praesens concilium conciliariter tenere . . . ipsaque sic conciliariter facta approbare et ratificare et non aliter, nec alio modo[2]).“ Neque posteriores pontifices plus approbarunt. Sed d. etiamsi Martinus V. haec approbasset decreta, sequeretur

---

1) Cf. Ballerinii de potestate summorum pontif. et concil. gener. c. 7. ss. Wieser §. 30.

2) Collect. Conc. venet. 16, 746. Ceterum hoc quondam fassus est ipse Döllinger Kirchengeschichte 2, 306.

tantum, concilium esse supra pontificem *dubium* in casu schismatis[1]), non vero extra hunc casum, cum pontifex est legitimus et certus[2]). Hinc e. teste vel Gersone[3]) jam Martinus V. ita se gessit, ut facto ipso destrueret decretorum illorum robur fundamentale. Hinc etiam nunquam pro haereticis habiti sunt, qui decretorum istorum auctoritatem negarent: et in ipso concilio constantiensi plurimi fuere, qui romani pontificis infallibilitatem docuerunt[4]) et post concilium haec doctrina praevaluit, sicut etiam jam ante concilium inter theologos fuerat communis. Hisce vero f. responsum quoque est ad concilium basileense, cujus decreta hoc in argumento pluribus forte adhuc defectibus laborant[5]).

1) Quatenus scil. judicare posset, an pontifex, de cujus legitima electione controvertitur, legitimus sit necne.

2) Cf. bullam Eugenii IV. „Moyses“ a. 1439. cum notis Justiniani apud Harduinum coll. conc. 9, 1004. ss. In hac bulla damnat pontifex hanc propositionem: „Veritas de potestate concilii generalis universalem Ecclesiam repraesentantis supra papam et quemlibet alterum declarata per constantiense et hoc basileense generalia concilia est veritas fidei catholicae.“

3) In dialogo apolog. pro condemnat. propos. Joannis Parvi op. t. 2. p. 390. s.

4) Cf. Scheeben, der Papst und das Concil von Janus; Katholik 1868. II. p. 17. ss.

5) Ipse Döllinger Kirchengeschichte 2, 337.

41. Denique aliis praetermissis[1]) opponi posset decretum dogmaticum Eugenii IV. pro armenis, quod admissa romani pontificis infallibilitate foret et ipsum infallibile: hoc vero

---

praeclare acta hujus concilii de his decretis enarrat, unde liquet, quantopere ea careant omni auctoritate. Cf. etiam p. 306. ss.; 325. ss.

1) Plura brevitatis gratia praetermittere debemus, sed ad ea aliaque solvenda haec prae oculis habeantur: 1. Non quidquid romani pontifices laudarunt, instituerunt, promoverunt, judicarunt etc. tamquam e cathedra definitum haberi debet: imo nec omnia, quae in bullis vel maxime dogmaticis leguntur, objectum est definitionis dogmaticae, sed eaedem regulae in determinando hoc objecto servari debent, quae sequendae sunt in statuendo ambitu definitionis conciliorum. 2. Plura quae a pontificibus definita falsitatis, exaggerationis, usurpationis etc. accusantur, jam a seculis tacito vel etiam expresso Ecclesiae consensu recepta sunt: quare ejusmodi criminationes petunt (pro more) ipsam Ecclesiae infallibilitatem. 3. Damna et incommoda, quae nonnulli timore puerili societati civili timent, sunt plane fictitia, non minus ac illa damna, quae ex revelatione et fide in scientiam redundare increduli pueriliter et inscite jactant. 4. Quae nonnulli blaterant sive de spuriis documentis, quibus tota haec innitatur doctrina, sive de vi ac tyrannide, qua eadem fuit inducta et propagata, sive de illorum charactere, qui eandem propugnarunt, inter figmenta et calumnias amandanda sunt. Cf. *Neue Erwägungen* p. 33. ss.; Wieser §. 31. ss.

posito jam de ordinationibus episcoporum et presbyterorum in universa Ecclesia esset merito dubitandum: nam neque primis Ecclesiae seculis fuerunt hi ordines collati eo ritu, qui secundum hoc decretum infallibile est essentialis, neque modo in Ecclesia orientali hoc ritu conferuntur: hinc actum esset de successione apostolica in Ecclesia, actum proinde de legitimo vel ipsius concilii vaticani valore. Sed a. ipsa haec immania absurda, quae ex proposita exceptione inferuntur, illam reddunt suspectam, et revera innumeri theologi certe sagaces non obstante hoc decreto, tranquillissime propugnarunt romani pontificis infallibilitatem, quin tantam Ecclesiae timerent perniciem: sciebant nimirum b. hoc decretum non continere definitionem dogmaticam, quid *quovis tempore* de sacramentorum fuerit essentia, sed esse instructionem tantum, quid secundum praesentem Ecclesiae romanae praxim in sacramentorum administratione sit servandum. Hinc c. etiamsi statuat materiam sacramenti ordinis esse illud, per cujus traditionem ordo confertur, non propterea dirimit quaestionem[1]), utrum haec sit materia inte-

---

1) Etiamsi concedatur, Eugenium IV. authentice docuisse materiam essentialem sacramenti ordinis esse instrumentorum traditionem, nihil propterea est

gra et ita essentialis, ut nunquam citra illam valuerit ordinis sacramentum: et idcirco d. theologi probe catholici etiam post hanc instructionem nunquam reclamante romano pontifice hac de re disputant, quod cum definitione e cathedra conciliari nequit.

42. Sed haec pro praefationis angustiis sufficiant de romani pontificis infallibilitate. Ex omnibus autem liquet, eam intime cohaerere cum Ecclesiae infallibilitate, adeo ut illa impugnata et haec in discrimen vocetur. Neque mirum: idcirco enim domus sapientis architecti non corruit orta tempestate, quia *fundata erat super petram* (Matth. 7, 25). Idcirco ergo non prae-

---

timendum. Semper enim defendere liceret opinionem illorum theologorum, qui statuunt, Christum pro ordinis sacramento materiam determinasse *in genere tantum*, voluisse scil., ut ordo conferretur ritu visibili et apto ad significandam traditionem potestatis, reliquisse autem Ecclesiae arbitrio hunc ritum accuratius determinandi. Jam vero secundum hos theologos Ecclesia primis seculis usa est manuum impositione ad conferendos ordines superiores, quo ritu Ecclesia orientalis modo contenta est: Ecclesia vero latina seculorum lapsu pro potestate sibi facta hunc ritum ampliavit auxitque adjecta instrumentorum traditione, vel si vis mutavit in hanc traditionem: proinde *modo* in Ecclesia *latina* hic ritus erit essentialis: hinc omnia illa corollaria absurda sunt plane fictitia.

valebunt portae inferi adversus Ecclesiam sapientissimi architecti domum, quia aedificata *super hanc petram* (ib. 16, 18). Si autem quaeris, quaenam sit *haec petra*, pronomen demonstrativum *haec*, non aliam *petram* designat, quam eam, quae praesens sistitur inciso immediate antecedenti: *Tu es Petrus*[1]. Ergo manifestum est[2] „s. Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam esse."

---

1) Hoc clarius patet ex dialecto aramaica, qua usus est Christus. In hac enim in utroque inciso idem plane occurrit nomen: „Tu es *Kepha*, et super hunc *Kepha* aedificabo Ecclesiam meam": hinc evidens, per verba *hunc Kepha* idem subjectum *demonstrari*, quod designatum fuit hoc nomine priori inciso.

2) S. Gregorius M. Epist. l. 6. ep. 37.

EPISTOLA XXIX.

Ad Pulcheriam Augustam de ambitu Anatolii[1]).

SYNOPSIS.

1. Plenam esse fidei victoriam, in qua superant tam qui ceciderunt, quam qui steterunt. 2. Nihil valere posse contra canones nicaenos, qui soli firmandae paci sufficiunt. 3. Anatolio Flavianum exemplo esse debere: et per se ruere, quod nicaenae synodo contrarium est. 4. Ut ipsa Anatolium a proposito revocet, hortatur.

Leo episcopus Pulcheriae Augustae.

Caput I. Sanctis et Deo placitis Clementiae vestrae studiis defensam contra haereticos catholicam fidem, et universae Ecclesiae redditam pacem, ineffabiliter cum vestra pietate gaudemus: gratias agentes misericordi et omnipotenti Deo, quod exceptis

---

1) In edit. Baller. 105., al. 79. scripta 22. Maji 452.

his, qui magis dilexerunt tenebras, quam lucem, neminem passus est evangelica veritate fraudari: ut abstersa erroris caligine, in omnium cordibus purissimum lumen oriretur, nec de infirmis quorundam animis tenebrosus ille exsultaret inimicus, quem non solum hi, qui illaesi steterunt, sed etiam hi, quos fecerat nutare, superaverunt: ut, errore abolito, per totum mundum fides vera regnaret, et *omnis lingua confiteretur, quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (Philipp. 2, 11). Confirmato autem in unitate Evangelii universo orbe terrarum, et in eundem sensum directis cordibus omnium sacerdotum, optimum fuerat, supra illa, propter quae sancta est synodus congregata, et quae secundum pietatis vestrae studium probabili sunt fine conclusa, nihil quod tanto bono contrarium esset, inferri, nec per occasionem episcopalis concilii, id importune appeti, quod non licuit concupisci.

Caput II. Frater enim et coepiscopus meus Anatolius parum considerans, quanto pietatis vestrae beneficio et mei favoris assensu, constantinopolitanae ecclesiae sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gavisus, quam de immodicis appeten-

dis supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorundam consensum suum praebuisse dicitur extorta subscriptio; cum tamen destruendis mox conatibus contradictio fratrum et coepiscoporum meorum vice mea agentium fideliter et laudabiliter obviaret. Quoniam contra statuta paternorum canonum, quae ante longissimae aetatis annos in urbe nicaena spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur: ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quae si, ut oportet, a cunctis pontificibus intemerata serventur, per universas ecclesias tranquilla erit pax et firma concordia: nullae de mensura honorum dissensiones, nullae de ordinationibus lites, nullae de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina; sed aequo jure caritatis rationabilis et morum et officiorum ordo servabitur: et ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino: *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed mini-*

strare (Matth. 20, 26). Et tamen haec illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, et de infimis ad summa transire: constantinopolitanae vero praesul ecclesiae, quid amplius, quam assecutus est, concupiscit: aut quid illi satisfaciet, si tantae urbis magnificentia et claritudo non sufficit? Superbum nimis est et immoderatum ultra proprios terminos tendere, et antiquitate calcata alienum jus velle praeripere; atque ut unius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisque provinciis, et olim sanctae synodi nicaenae moderatione dispositis, bellum novae perturbationis inferre; atque ut venerabilium patrum decreta solvantur, quorundam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexagesimus fere annus hujus conniventiae esse jactatur, qua se praedictus episcopus aestimat adjuvari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere.

Cap. III. Agnoscat, cui successerit viro, et repulso omni spiritu elationis, Flaviani fidem, Flaviani modestiam, Flaviani humilitatem, quae illum usque ad confessoris gloriam provexit, imitetur. Cujus si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, et in omni loco pluri-

mum dilectionis acquiret, non ambiendo humana, sed promerendo divina. Hac autem observantia meum quoque illi animum spondeo copulandum, et apostolicae sedis dilectionem, quam constantinopolitanae ecclesiae semper impendimus, nulla mutabilitate violandam. Quia si interdum immoderati praesules aliquas incidunt culpas, ecclesiarum tamen Christi integritas perseverat. Consensiones vero episcoporum, sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestrae fidei pietate in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus[1]. in omnibus ecclesiasticis causis his legibus obsequentes, quas ad pacificam observantiam omnium sacerdotum, per trecentos decem et octo antistites Spiritus sanctus instituit, ita ut etiam si multo plures aliud, quam illi statuere, decernant, in nulla reverentia sit habendum, quicquid fuerit a praedictorum constitutione diversum.

Caput IV. Prolixitatem itaque epistolae

---

1) En quanta romani pontificis auctoritas, ut sexcentorum et ultra episcoporum et quidem *orientalium* decretum casset seu irritum faciat.

meae, qua necesse habui explicare, quid sentiam, rogo, ut per fratrem et coepiscopum meum Lucianum, qui (quantum in ipso est) sollicitudinem susceptae legationis est fideliter exsecutus, et per filium meum Basilium diaconem pietas vestra dignanter accipiat. Et quia moris vestri est pro pace et unitate Ecclesiae laborare, fratrem meum Anatolium episcopum ex vestra mihi insinuatione dilectum salubriter in his, quae ipsi profutura sint, continete: ut gloria clementiae vestrae, sicut magnificatur de fide reparata, ita praedicetur de ambitione compressa. Data undecimo Kalendas Junii, Herculano viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXX.

Ad Anatolium episcopum CP. increpans de ambitu[1]).

SYNOPSIS.

1. Anatolii fidem esse laudandam: cupiditatem damnandam. 2. Nicaeni concilii praerogativa, quam Anatolii ambitus petit. 3. Chalcedonensi synodo in solo negotio fidei convocata eum abuti. 4. Nunquam se in praejudicium nicaeni concilii illicitis ausibus consensurum. 5. Canones synodi CP. ad sedem romanam nunquam missos Anatolio male patrocinari. 6. Satius esse, ut cupiditatem deponat, caritatem sectetur.

Leo episcopus Anatolio episcopo.

Caput I. Manifestato, sicut optavimus, per gratiam Dei lumine evangelicae veritatis, et ab universali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quod creditae nobis dispensatio-

---

1) In edit. Baller. 106. al. 80. scripta 22. Maji 452.

nis labor ad desideratum pervenit effectum, sicut etiam epistolae tuae textus eloquitur; *ut*, secundum apostolicam doctrinam, *idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia* (1. Cor. 1, 10). In cujus operis devotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem: ut et corrigendis tua prodesset industria, et ab omni te deviantium participatione (et factione) purgares. Decessore enim tuo beatae memoriae Flaviano propter defensionem catholicae veritatis ejecto, non immerito credebatur, quod ordinatores tui contra sànctorum canonum constituta viderentur sui similem consecrasse. Sed adfuit misericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans, ut malis principiis beneutereris; et non te judicio hominum, sed Dei provectum benignitate monstrares: quod vere ita accipiendum est, si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas. Virum enim catholicum, et praecipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi. Dicente quippe Scriptura sancta: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua vetare* (Eccli. 18, 30): multis mundi hujus illecebris, multis vani-

tatibus resistendum est, ut verae continentiae obtineatur integritas: cujus prima est labes superbia, initium transgressionis et origo peccati. Quoniam mens potentiae avida nec abstinere novit vetitis, nec gaudere concessis, dum inordinato pravoque progressu, impunitarum transgressionum augentur excessus, et crebrescunt culpae, quae toleratae sunt studio fidei reparandae et amore concordiae.

Caput II. Post illa itaque ordinationis tuae non inculpata principia, post consecrationem antiocheni episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti[1]), doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas nicaenorum canonum[2]) constitutiones conareris infringere:

---

1) Anatolius scil. ordinaverat Maximum in antiochena sede, quae cum ad episcopum CP. non pertineret, ordinatio ejusmodi canonicae regulae adversabatur. Regulae autem canonicae nomine sive intelligantur canones nicaeni, qui sua quibusvis provinciis privilegia servari jubent, sive alii quicunque canones aut consuetudo ecclesiarum.

2) Canon nicaenus, quem toties violatum affirmat Leo per decretum episcoporum concilii chalcedonensis ita sonat (6): „Mos antiquus perduret in Aegypto vel Lybia et Pentapoli, ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam

tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes alexandrina perdiderit, et antiochena ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit: ut his locis juri tuo subditis, omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis et nunquam ante

---

quidem et episcopo romano pariis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias (*ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις*) honor suus unicuique servetur ecclesiae", vel ut habet Dionysius Exiguus „suis privilegia serventur ecclesiis." Cetera canonis huc non spectant. Jam vero hic canon violabatur, quod a. Ecclesiae constantinopolitanae nulla in eo fieret mentio, cum tamen praecipuae Ecclesiae romana, alexandrina, antiochena, quae prae ceteris eminerent, recenseantur et eorum privilegia asserantur: quod b. asserta prima post romanam sedem dignitate Ecclesiae CP. periculum erat, ne antiochena suis spoliaretur privilegiis, vi quorum poterat Orientis metropolitas ipse ordinare et aliorum episcoporum electionem confirmare: quod c. subjicerentur episcopo CP. tres provinciae, imo eparchiae Pontus, Asia proconsularis et Thracia (cf. supra ep. 93. in nostra ed. 22. c. 4.), de quibus in primis illud incisum „apud ceteras provincias (*ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις*) honor suus unicuique servetur ecclesiae" intelligendum esse contendunt viri eruditi. Cf. Hefele Conciliengesch. t. 1. animadv. in h. c. Hac autem subjectione concessa, privabantur illo honore quo vix distinguebantur ab ecclesiis patriarchalibus alexandrina et antiochena.

tentatis ita praeveniris excessibus, ut sanctam synodum, ad exstinguendam solum haeresim et ad confirmationem fidei catholicae studio christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, et ut conniventiam suam dedat, impellas: tamquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, et illa nicaenorum canonum per Spiritum vere sanctum ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat, vel praeferre: cum tanto divinitus privilegio nicaena sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum.

Caput III. Nimis ergo haec improba, nimis sunt prava, quae sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiae perturbationem superba haec tendit elatio, quae ita abuti voluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantummodo negotio convocatos, et definitione ejus causae, quae erat curanda, perfunctos, ad consentiendum

sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab apostolica sede directi, qui vice mea synodo praesidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, aperte reclamantes, ne contra instituta nicaeni concilii praesumptio reprobae novitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multum illos mihi haec scribendo commendas; sed temetipsum, quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superflue non concedenda appetens, et insalubriter tibi contraria concupiscens, quae nullum unquam poterunt nostrum obtinere consensum. Absit enim a conscientia mea, ut tam prava cupiditas meis studiis adjuvetur, ac non potius et meo et omnium, qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur.

Caput IV. Sancti illi et venerabiles patres, qui in urbe nicaena, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos, et in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; et si quid usquam aliter, quam illi

statuere, praesumitur, sine cunctatione cassatur[1]): ut quae ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum, quae ad bonum sunt commune praefixa: et manentibus terminis, quos constituerunt patres, nemo in jus tendat alienum; sed intra fines proprios atque legiti-

---

1) *Sine cunctatione cassatur.* Ne haec videantur extennare vim eorum, quae dixerat summus pontifex ep. praecedenti c. 3., advertatur posse dici canonem illum famosum de praerogativa sedis CP. et *per se* fuisse irritum, et eundem *fuisse cassatum* seu redditum irritum *a s. Leone.* Fuit *per se* irritus, quia contrarius canoni concilii oecumenici et conditus dissentientibus legatis seu potius dissentiente ipso romano pontifice, hinc ab auctoritate editus, quae esset impar ad abrogandum canonem nicaenum. *Cassatus est a s. Leone*, quia concilium chalcedonense accedente pontificis confirmatione habuisset vim utpote concilium oecumenicum derogandi canoni concilii nicaeni ob aequalem cum illa auctoritate, cum ageretur de re disciplinari mutationi obnoxia. Cum ergo pontifex noluit adjicere confirmationem, quae complementi instar accedere debebat ad perficiendam et complendam auctoritatem inchoatam patrum chalcedonensium, ut haberetur auctoritas plena, propria concilii oecumenici, eo ipso irritum reddidit atque cassavit illum patrum chalcedonensium conatum seu canonem ab ipsis editum, quem potuisset ratum validumque reddere, si illum voluisset confirmare.

mos, prout quis valuerit, in latitudine se caritatis exerceat: cujus satis uberes fructus constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quam si spiritu ambitionis infletur.

Caput V. *Noli*, frater, *altum sapere, sed time* (Rom. 11, 20), et christianorum principum piissimas aures improbis petitionibus inquietare desiste, quibus certum habeo, modestia te magis, quam elatione, placiturum. Persuasioni enim tuae in nullo penitus suffragatur quorundam episcoporum ante sexaginta (ut jactas) annos facta conscriptio, nunquamque a praedecessoribus tuis ad apostolicae sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducae dudumque collapsae sera nunc et inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata praeberet. Memento, quid Dominus ei, qui unum de pusillis scandalizaverit, comminetur (Matth. 18, 6), et sapienter intellige, quale sit Dei judicium subiturus, qui tot ecclesiis, tot sacerdotibus scandalum inferre non metuit. Fateor enim, ita me dilectione universae fraternitatis obstringi, ut nemini prorsus in his, quae contra se poscit, assentiar, possisque evidenter agnoscere,

me dilectioni tuae benevolo animo contraire, ut saniore consilio ab universalis te Ecclesiae perturbatione contineas. Non convellantur provincialium jura primatum, nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani antistites fraudentur. Nihil alexandrinae sedi ejus, quam per sanctum Marcum evangelistam b. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis, nec Dioscoro impietatis suae pertinacia corruente, splendor tantae ecclesiae tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque ecclesia, in qua primum praedicante b. apostolo Petro, christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud praesidentes. Et magnus unicuique honor est integritas sua. Quae quum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quanto magis in constantinopolitanae urbis magnificentia potest esse gloriosa, si per observantiam tuam et defensionem paterni canonis et exemplum probitatis multi habeant sacerdotes?

Caput VI. Haec tibi scribens, frater, in Domino hortor ac moneo, ut deposito ambitionis desiderio, spiritu potius ferveas caritatis, ejusque virtutibus, secundum doctri-

nam apostolicam, proficienter orneris. Est enim *patiens et benigna, et non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt* (1. Cor. 13, 4). Unde si caritas non quaerit propria, quantum peccat, qui concupiscit aliena? A quibus volo, ut te prorsus abstineas, memorque sis ejus sententiae, quae dicit: *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (Apoc. 3, 11). Nam si inconcessa quaesieris, ipse te tuo opere atque judicio universalis Ecclesiae pace privabis. Frater autem et coepiscopus noster Lucianus, et filius noster Basilius diaconus, quantum in ipsis fuit, studiose his, quae eis injunxeras, adfuere: sed actioni eorum justitia negavit effectum. Data undecimo Kalendas Junii, Herculano viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXI.

Ad Theodorum forojuliensem episcopum[1]).

SYNOPSIS.

1. Unumquemque episcopum ad metropolitanum in dubiis recurrere debere. 2. Duplex esse peccati remedium: et quis reconciliationis ordo esse debeat. 3. Poenitentem, qui ante reconciliationem decedit, reconciliari post mortem non posse. 4. Nemini in extremis posito reconciliationem petenti eam esse denegandam. 5. Quam periculose in finem poenitentia reservatur. Nemini per signa poscenti negandam esse, observatis circa apostatas canonicis regulis. 6. Ut cum metropolitano responsa ad consultationem communicet.

Leo episcopus Theodoro forojuliensi episcopo.

Caput I. Sollicitudinis quidem tuae hic ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus de eo, quod quaerendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignora-

---

1) In edit. Baller. 108. al. 83. scripta 11. Junii 432.

bat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quae ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri. Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de poenitentium statu ecclesiastica habeat regula, non tacebo.

Caput II. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent; et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent[1]). Cui utique operi

---

1) Haec uberrime illustravimus aliorum patrum effatis tum opusc. 5, 206. ss., tum 14, 181. ss.: clare enim hinc probari potest *poenitentiae sacra-*

incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quae ministris suis exsequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* ut si quid per servitutem nostram bono ordine et gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse donatum.

Caput III. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunque in-

---

mentum. Eligius noviomensis († 659., secundum alios 665.) ea recepit in suam hom. 4. (Migne 87, 610), qua occasione haec opportune animadvertit: „In reconciliatione autem vestra, nolite nos episcopos attendere ut auctores, sed ut ministros: nam quis sit auctor, manifestat nobis idem egregius gentium doctor: cum enim dixisset: *Ecce facta sunt nova omnia,* addidit: *omnia autem* i. e. reconciliationis genera, *ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum* (2. Cor. 5, 17, 18). Ecce per quem fit reconciliatio scil. per Christum, qui eandem nobis procurans per suam passionem rediit ad praemium. Sed ne imperfectum remaneret quod procuraverat, et quoniam ipse quidem corporalem praesentiam ab eis abscondebat, quibus secundum divinitatem dignatus erat polliceri: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (Matth. 28, 20), dedit apostolis suis nobisque eorum successoribus potestatem ligandi atque solvendi in coelo et in terra, quam potestatem solvendi vocat Apostolus *ministerium reconciliationis* (2. Cor. 5, 19).“

terceptus obstaculo, a munere indulgentiae praesentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita actusque discutere; cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suae justitiae reservaverit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit; et quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.

Caput IV. His autem, qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda[1]): quia mi-

---

1) Habes hic casum, in quo etiam primis Ecclesiae seculis ante satisfactionem opere praestitam absolutio a peccatis poterat valide et licite, imo debebat dari. Ceterum non solum hoc in casu *certe* dabatur absolutio ante exhibitam satisfactionem, sed etiam in aliis, ut ex. gr. imminente nova persecutione, vel si poenitentes specimen edidissent virtu-

sericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nul-

---

tis eximiae, vel si ex dilata absolutione schisma merito timeretur, vel ex absolutione mox concessa spes magni lucri animarum i. e. reditus schismaticorum, haereticorum affulgeret. Cf. Nat. Alexandrum diss. 9. in sec. 3.; Morinum comment. historic. de disciplina in administratione sacr. poenit. l. 1. c. 19; l. 6. c. 24; l. 9. c. 6. ss. Hinc Ecclesia antiqua non censuit, sive ex rei natura sive ex jure divino absolutioni praemittendam esse satisfactionem, alioquin sicut nunquam ante dolorem de peccatis vel confessionem absolutionem impertit, quia illa ex natura rei, haec ex jure divino positivo praerequiritur, ita neque ante satisfactionem opere praestitam peccatorem reconciliatione donasset. Quare hoc relictum censeri debet arbitrio Ecclesiae, utrum velit absolutionem a peccatis concedere ante vel post exhibitam satisfactionem. Hinc sicut Ecclesia olim justis de causis satisfactionem ante absolutionem exigere poterat, et ut multi contendunt, revera exegit, ita potuit postmodum prudentissime, contenta solo poenitentis proposito, ante satisfactionem impertire absolutionem, imitatrix ipsius scil. Dei, qui contentus solo confessionis satisfactionisque proposito vere contrito, contritione nimirum perfecta, illico omnia remittit peccata. Quod si vero haec praxis jam per plura secula in universa obtinet Ecclesia, impudens sane est et arrogans, qui illam carpit, secundum Augustini verba (ep. 118. al. 54. c. 5.): „Si quid totum per orbem frequentat Ecclesia . . . quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.“ Merito proinde damnavit Sixtus IV. hanc (5.) Pe-

las patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris* (Ezech. 33, 15. Sec. 70). Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris* (Isai. 43, 26. Sec. 70). Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (Ps. 129, 7). In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrimas gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente apostolo: *Ne forte det illis*

---

tri de Osma propositionem: „Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia;“ Alexander VIII. Arnaldi propositionem (16): „Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante“: et alteram (17.): „Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus“, cui affinis est sequens (18.): „Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti poenitentiae, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.“ Similem doctrinam confixit Clemens XI. damnatione propositionis 87. Quesnelli, et Pius VI. censura prop. 35. synodi pistoriensis. Cf. Viva in has propos. damnatas.

Deus poenitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem (2. Tim. 2, 25).

Caput V. Unde oportet unumquemque christianum conscientiae suae habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitae suae constituat: quia periculose hac se conditione fragilitas et ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum: et cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio poenitentis, vel reconciliatio sacerdotis. Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis poenitentiae et communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua vi aegritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur: servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccarunt.

Caput VI. Haec autem, frater, quae ad interrogationem dilectionis tuae ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiae excusatione gereretur, in metropolitani tui notitiam facies pervenire: ut si qui forte sunt fratrum, qui de his antea putaverint ambigendum, per ipsum de omnibus, quae ad te scripta sunt, instruantur. Data III. Idus Junii, Herculano viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXII.

Ad Julianum episcopum coënsem[1]).

SYNOPSIS.

1. De palaestinorum monachorum turbis et violentiis, quibus catholicos exagitabant, ac in eutychianam haeresim assensum extorquebant, queritur. 2. Eos ab imperatore cohibendos, et pertinaces in exsilium pellendos. 3. Epistolam s. Athanasii ad Epictetum eisdem opponendam mittit. 4. De Juvenali episcopo Hierosolymorum ab eisdem pulso, et de alio ei subrogato.

Leo Papa Juliano episcopo.

Caput I. Gravia sunt, et non parvo moerore lugenda, quae falsorum monachorum turbas fraternitas tua perpetrare significat, Eutyche impio per deceptorum furorem bellum evangelicis et apostolicis praedicationi-

---

1) In edit. Baller. (primum edita) 109. scripta 25. Nov. 452. Loquitur in ea de monachis palaestinis, qui duce Theodosio statim post chalcedonensem synodum ad suos reverso Hierosolymis primum, dein in tota Palaestina ingentes turbas excitarunt.

bus inferente, retorquendo ipsius et sociorum ejus exitium; quod ideo differtur per patientiam Dei, ut inimici crucis Christi quantum diabolo famulentur appareat; dum haeretica pravitas antiquum velamen suae simulationis excedens, intra limites hypocrisis suae continere se amplius non potest, totumque, quod diu texerat, virus effudit, non solum stilo[1]) in discipulos veritatis, sed etiam manu saeviens, ut consensum aut simplicitatis indoctae, aut trepidae fidei violenter extorqueat[2]). Sed non ita debent filii lucis filios metuere tenebrarum, ut sani furentibus acquiescant, aut aestiment hujusmodi hominibus aliquid praestandum esse reverentiae, qui si perire malunt quam resi-

1) *Non solum stilo.* Qua de re ita scribit Marcianus imp. ad synodum Palaestinae (coll. conc. ven. 4, 1823.): „Quasdam excogitavit et composuit (Theodosius horum monachorum dux) literas, quas solus poterat fingere diabolus, ac per eas sanctam, quae Chalcedone habita est, synodum calumniari non desistit.“

2) Idem Marcianus ad archimandritas et monachos aelienses (ib. 1803.) ait: „Vos autem . . . gladiis aliisque crudelitatibus et injuriis et tormentis in mulieres honestas et nobiles perpetratis, necessitatem plurimis non dubitastis inferre, ut consentirent perversis doctrinis etc.“

piscere, prospiciendum est, ne impunitate sua latius noceant, et in multorum perniciem, dum diu tolerantur, insurgant.

Caput II. Non ignoro quid caritatis et gratiae filiis nostris sanctis et veris monachis debeatur, qui professionis suae modestiam non relinquunt, et quod proposito voverunt, moribus exsequuntur. Superbi autem et inquieti, qui sacerdotum contemptu et injuriis gloriantur[1]), non servi Christi, sed antichristi milites sunt habendi; maximeque in suis sunt praepositis humiliandi, qui imperitam multitudinem ad defensionem suae perversitatis instigant. Unde cum clementissimus princeps toto religiosi cordis affectu catholicam diligat fidem, et multum, sicut ubique percrebuit, rebellium haereticorum hac offendatur audacia, agendum est apud ipsius clementiam, ut incentores harum seditionum ab insanis congregationibus separentur; nec tantum Eutyches et Dioscorus, sed etiam quicunque studiosius furiosam adjuvant pravitatem, in his constituan-

---

1) Severianum episcopum scythopolitanum haeretici tumultuantes occiderunt: et occidissent etiam Juvenalem Hierosolymorum antistitem, nisi se fuga subduxisset.

tur locis, in quibus nullum cum suis sociis blasphemiarum possint habere commercium; forte enim aliquorum simplicitas hac medendi ratione curabitur, et ad incolumitatem mentium facilius revocabuntur, si liberiores fuerint ab instigationibus pestilentium magistrorum.

Caput III. Ne autem ad confirmandos piorum animos, vel ad haereticos confutandos necessaria aut deesset, aut lateret instructio, misi epistolam sanctae memoriae Athanasii episcopi ad Epictetum episcopum datam, cujus testimoniis sanctae memoriae Cyrillus usus est in ephesina synodo contra Nestorium, quia incarnationem Verbi tam lucide ac diligenter adstruxit, ut Nestorium et Eutychen in illius jam temporis haereticis debellarit. Audeant hunc tantae auctoritatis virum Eutychis et Dioscori sectatores, aut imperitiae, aut pravitatis arguere, qui praedicationem nostram[1]) a doctrina atque intelligentia patrum jactitant deviare. Prodesse autem debet confirmandis sensibus omnium Domini sacerdotum, quod haeretici olim in auctoribus suis praesciti atque damnati,

---

1) *Praedicationem nostram* celebri epistola ad Flavianum contentam.

apertius jam coeperunt dogma suae impietatis adstruere, ne latente intra silentium sensu, dubitabile videretur an vere in ipsis et triplex Apollinaris error [1]), et insana ma-

---

1) Superius ep. 59. in nostra ed. 16. ad constantinopolitanos c. 5. Leo scripsit: „Tria falsa et vana apollinaristarum haereticorum tres partes varias protulerunt.“ Has autem tres partes antecedentibus verbis indicavit: „Nec ita hominem (dicimus Christum), ut aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem, quam non de femina sumpsit, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato.“ Haec tria apollinaristarum capita i. e. *sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem*, Augustinus, ex quo Leo videtur sumpsisse, in l. de haeresibus c. 55. ita describit. Primo dixerunt, Verbum carnem *sine anima* suscepisse; et rationem eorum affert Leo s. 4. de Nativitate, *quia vicem ejus expleverit Divinitas.* Secundo priorem sententiam emollientes docuere, non totam animam humanam defuisse Christo, sed partem animae rationalem seu *mentem*, ita ut Verbum loco mentis in Christo fuerit. Tertio tandem carnem et Verbum unius esse substantiae asseruere, et in hoc potissimum conveniebant omnes. Hoc tertium apollinaristarum caput Leo tantummodo Eutychi tribuens ep. 124. c. 2. et 165. c. 2. latius proponit, ita ut non tam corpus quam animam unius cum Verbo naturae Eutychem cum illis asseruisse tradat: „Tertium, inquit, Apollinaris dogma delegit, ut negata humanae carnis atque animae veritate, totum D. N. J. Christum unius

nichaeorum opinio pullularet. Qui cum jam non se occulere studeant, sed contra Christi ecclesias audacter insurgant, nonne prospiciendum est, quatenus eis vires omnium conatuum subtrahantur, servato, ut dixi, eo districtionis moderamine, ut a quietioribus inconvertibiles dividantur: *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala* (1. Cor. 15, 33), et *Castigato pestilente, sapiens astutior erit* (Prov. 21, 11): ut quolibet modo dissipata societate reproborum, aliqua diabolo vasa rapiantur? Non enim ita conviciis et vaniloquiis debemus offendi, ut nullam curam ipsorum correctionis habeamus.

Caput IV. Episcopus vero Juvenalis, cujus injuriae sunt dolendae, nimis temere se haereticorum blasphemiis copularat, et dum Eutychem Dioscorumque amplectitur[1]), multos imperitos suo in praeceps egit exemplo, licet postea se consilio saniore correxerit.

---

assereret esse naturae tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit, et concipi ac nasci, nutriri et crescere, crucifigi et mori . . . divinae tantum essentiae fuerit.‹ Ballerinii.

1) *Amplectitur*, lege *amplectebatur*. In pseudosynodo ephesina Juvenalis Dioscoro adhaerens Eutychen absolvit, quod postea in chalcedonensi synodo *consilio saniore* emendavit.

Hi tamen, qui avidius impietatis virus hauserunt, facti sunt ejus adversarii, cujus fuerant ante discipuli, ut sua ipse nutrimenta[1]) pateretur: qui, ut eandem emendationem, quam ille elegit, imitentur optandum est, si vel ipsa sanctorum locorum circa quae habitant testificatione resipiscant. Qualis autem sit qui in locum episcopi viventis obrepsit[2]), ex ipsa qualitate facti non potest dubitari, nec ambigendum est, eum esse perversum, quem impugnatores fidei dilexerunt. Interim fraternitas tua curam piae sollicitudinis continuare dignetur, ut frequentioribus scriptis, quo res proficiant, scire me facias. Data VII. kal. Decembris, Herculano consule.

---

1) *Ut sua ipse nutrimenta*, ut suos, quos nutriverat, errore imbuerat, adversarios pateretur.

2) Is est idem Theodosius, qui palaestinarum turbarum auctor fuit.

EPISTOLA XXXIII.

Marciani Augusti ad Leonem Papam[1]).

SYNOPSIS.

1. Confirmationem synodi chalcedonensis a pontifice uti necessariam petit. 2. Ejus constantiam in vindicandis canonibus et reprimenda novitate laudat.

Epistola piissimi imperatoris Marciani ad Leonem archiepiscopum Romae.

Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi triumphatores, semper Augusti, sanctissimo et vere venerabili Leoni archiepiscopo.

Beatitudinem tuam valere syllabis nostrae serenitatis studiosissime precamur, postulantes ut favorem omnipotentis Dei tuarum nobis impertias precum intercessione: ut misericors et pacifica ipsius magnificentia omnia fausta et optabilia nostro regno concedere dignetur. Miramur supra modum quod

---

1) In edit. Baller. 110. al. post 88. scripta 15. Febr. an. 453. Novam versionem secundum textum graecum adornarunt Ballerinii, quam hic exhibemus.

post chalcedonensem synodum et literas venerabilium episcoporum ad tuam sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua clementia ejusmodi epistolae remissae sint, quas videlicet in sanctissimis ecclesiis perlectas, in omnium oportebat notitiam venire[1]). Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua beatitudo quae in sancta synodo decreta sunt confirmaverit. Et ob eam rem tua pietas literas mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta synodo peracta, a tua beatitudine rata haberi. Illud profecto, ut decebat episcopum apostolicae sedis, excellenter tua sanctitas praestitit[2]), ut eccle-

---

1) Literae ergo apostolicae sedis, quibus confirmabantur synodi generales, legendae erant in ecclesiis Orientis, haecque confirmatio in omnium notitiam deducenda erat, ne quis de eadem ambigens decretis synodi reluctari posset. Ecce ergo necessariae confirmationis pontificiae manifestissimum testimonium. Ballerinii. Adverte et illud, *solum dubium de confirmatione pontificia* pluribus incertam reddidisse definitionem.

2) Leonis constantiam hoc loco commendat, qua ille privilegia ecclesiarum secundum canones nicaenos

siasticos canones custodiendo, nihil antiqui moris et ordinis olim constituti et ad hanc usque diem inviolabiliter observati passa sit innovari. Propter literas autem tuae beatitudinis[1]) quae et quanta ab aliquibus[2])

---

sarta tecta servari contendens, canoni chalcedonensi pro CP. sede edito fortiter restitit ep. 104—107. Hinc Gelasius ep. 26. ad episcopos Dardaniae hanc respiciens epistolam: „Audiant, inquit, Marcianum ejusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens (ep. 100.), contra regulas obtinere nihil potuit, sanctae memoriae papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus.“

1) Intelligit potissimum ep. 106. in nostra ed. 30. ad Anatolium, quae etsi satis confirmasset fidei decretum latum in conc. chalcedonensi, cum tamen simul contradixisset canoni pro sede CP., manifestata non fuit, ut Leo tradit ep. 114, 115, 116. et 117. Hinc vero rumore in vulgus sparso, pontificem chalcedonensi concilio contraria scripsisse, ita ut hac de causa ejus literae publicatae non fuerint, eutychiani tumultus excitarunt occasionemque sumpserunt dubitationis ingerendae de ipsa chalcedonensi definitione fidei: illi enim, ut ait idem pontifex ep. 117. „occasione velandae perfidiae suae infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quae nulla sint consensus mei sententia roborata.“ Ballerinii.

2) *Ab aliquibus* scil. a monachis palaestinis, de quibus cf. praecedentem ep. *Quibus adversari noluimus*, quia deerat ea pontificia et publica chalce-

facta sint, poterit ab aliis tua sanctitas clarissime ediscere, quibus adversari noluimus, *nondum*[1]) affirmante tua in Deo caritate, catholicae fidei et vere orthodoxae chalcedonensem synodum, omnibus consentientibus episcopis, esse obsecutam. Quam ob rem tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat, quo confirmare ipsam chalcedonensem synodum manifestissime ostendat, ut ii, qui exoptant invia diverticulá, nullam habere possint suspicionem de judicio tuae sanctitatis. Data XV. kalendas Martias Constantinopoli.

---

donensis definitionis confirmatio, quae ad omne dubium amovendum requirebatur. Haec vero intelligenda sunt de resistentia per vim et potestatem secularem, nam literis jam studuerat eosdem *cohibere pariter et docere*, ut patet ex ep. 115. c. 2.

1) Hanc particulam *nondum* vel similem supplendam censent Ballerinii, quia mox petit a rom. pontifice apertam et publicam confirmationem et responsionem ad synodum.

EPISTOLA XXXIV.

Ad Marcianum Augustum, de Aëtio et Andrea[1].

SYNOPSIS.

1. Ordinationis Anatolii suspicionem per fidei ejus professionem esse sublatam. 2. Male ab eo Aëtium ab archidiaconi officio esse submotum. 3. Marcianum rogat, ut Anatolium ab illicitis retrahat, et faveat Juliano.

Leo Episcopus Marciano Augusto.

Caput I. Quam excellenti pietate et quam glorioso clementiae vestrae studio in integrum nuper fides christiana revocata sit, totus mundus agnoscit, et salutis suae singulare praesidium per vos a Domino esse reparatum. At si quid adversum tanti operis consummationem de contrario spiritu sentitur oboriri, necesse est, ut ad vestrae revocetur pietatis auxilium, quod ad custodiam catholicae veritatis divina providentia praeparavit: ut cum potestatis vestrae sit, scan-

---

1) In edit. Baller. 111. al. 84. scripta 10. Martii 453.

dala etiam in longinquo nata resecare, multo magis ea, qnae sub vestris audent oculis surgere, non sinatis accrescere. Anatolii episcopi ordinationem, sicut scientia Dei testis est, suspectam (quod fatendum est) mihi fecerant consecrationis ejus auctores[1]), nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum; secutumque est, ut cum communionem apostolicae sedis expeteret, diu dandis ad eum pacis epistolis abstinerem. Sed cum illi pietatis vestrae testimonium suffragaretur, et de fide atque unanimitate ejus optanda quaeque et placitura promitteret, professionem ejus ita credidi esse sinceram, ut tamen, qua observantia se agere deberet, non desinerem commonere, sedulo ipsi ac diligenter inculcans, ut de persecutoribus beatae memoriae Flaviani neminem auderet in suo habere consortio, et Eutychis haeretici sectatores tamquam inimicos Christi veraciter perhorreret. Quod adeo obedienter visus est accepisse, ut Andream diaconum eutychianae haeresis defensorem a se indicaret esse deje-

1) Ordinatus siquidem fuit a scelestissimo Dioscoro. Cf. tom. praeced. ep. 17. Ceterum disce hinc vigilantiam et sollicitudinem romani pontificis etiam de episcopis Orientis.

ctum. Secutumque est, ut de his, quae pro catholica fide in synodali concilio fuerant definita, talia ad me scripserit, qualia catholicum sacerdotem scribere congruebat.

Cap. II. Cum ergo ad commendanda ipsius primordia ista praecesserint, nescio quid causae aut occasionis emerserit, ut virum catholicae fidei et nestorianis atque eutychianis haereticis constanter etiam adversum, archidiaconem sub honoris specie degradaret[1]), et dispensationem totius causae et curae ecclesiasticae in Andream eutychianistam repente transferret; adeo nimia commotione turbatus, ut consecrationem, quam pro injuria dabat, sexta sabbati[2]), traditionis apo-

1) *Sub honoris specie degradaret*, Anatolius enim Aëtium archidiaconum, hinc in magno honore, munere et potestate constitutum (ad hunc enim spectabat totius curae et causae ecclesiasticae dispensatio) ordinavit presbyterum: presbyteratus autem si ordinem spectes praecellit utique diaconatum: sed utpote presbyter non amplius poterat munere illo splendido archidiaconatus fungi, eoque magis quod illum quasi relegaret, ut mox dicit.

2) *Sexta sabbati* proinde feria sexta, qua non licebat sacros ordines conferre, ut patet ex ep. 5. t. praeced. Hoc autem vitium non tam ad presbyterum pertinet, quam ad episcopum, cujus est scire ordinationis tempora.

stolicae aut nescius, aut oblitus, inferret: quasi non ad episcopum magis, quam ad presbyterum ordinationis illius vitium pertineret: qui non inveniens, quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, dejectionem innocentis per speciem provectionis implevit,* addens in sententia illud injuriae, ut eum coemeterio deputando, quodam damnaret exsilio[1]). Quem tamen pietati vestrae commendare praesumo, ne ullis ulterius noxiis ingravari possit insidiis, quem Dominus, ut comperi, sub vestra defensione constituit.

---

1) *Quodam damnàret exsilio.* Priscis Ecclesiae temporibus solitum erat christianis in coemeteriis sacra peragere tum propter persecutionem, cum propter reverentiam martyrum, qui illic sepulti quiescebant: unde et Valeriani et aliorum imperatorum edictis prohibiti sunt coemeteria adire, in eoque caritatis ac pietatis officio deprehensi morti sunt traditi. Reddita porro Ecclesiae pace iisdem coemeteriis deputati sunt presbyteri, qui illic sacra Deo facerent in honorem martyrum. Sed cum successu temporis refrigescente caritate coemeteriis addici onerosum presbyteris videretur, quia et remotiora erant ab urbibus et minus frequentata quam communia fidelium templa, coepit eorum cura inferioris ordinis presbyteris demandari, quod genus contumeliae queritur Leo fuisse archidiacono irrogatum. Quesnellus.

Caput III. Adjicio autem etiam hanc obsecrationem, ut praedictum episcopum a professione sua dissonum [1]), et nimium testimonii vestri ac favoris oblitum, necessarie increpare dignemini. Cesset catholicos insectari, cesset eos, qui sanctae memoriae Flaviano placuere, conterere, et eorum societatem, quos improbavit, eligere. Fraternam enim illi caritatem non aliter poterimus impendere, quam ut se inimicos catholicae fidei approbet exsecrari, ejusque a se consortium, quem merito abjecit, abscindat; qui etiam si magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reversus errorem catholicis diaconibus postponi debuit, non praeponi. Illud quoque Clementiae vestrae benevolentiam peto, ut veneratorem vestrum fratrem meum Julianum episcopum, in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu: cujus obsequiis praesentiae meae vobis imago reddatur. Nam et de fidei ejus sinceritate confi-

1) *A professione sua dissonum*, quia professus erat in concilio chalcedonensi et in ep. ad Leonem fidem catholicam, et nunc virum probe catholicum munere amovit eutychianum ipsi substituens. *Necessarie* i. e. incessanter. *Necessum* enim a *cesso* deductum est, quia non sit in eo cessandum, inquit Donatus in Terentium.

dens, vicem ipsi meam contra temporis nostri haereticos, delegavi: atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi[1]. Cujus suggestiones, pro concordia catholicae unitatis, tamquam meas audire dignemini: placentes Deo, qui vobis praeter regiam coronam etiam sacerdotalem conferat palmam. Data sexto Idus Martii, Opilione viro clarissimo Consule.

---

1) Habes hic speciem nuncii apostolici. Julianus erat quidem Ecclesiae graecae episcopus, sed in romana Ecclesia enutritus, hinc admodum idoneus ad hoc munus et utrique parti si qui alius acceptus.

EPISTOLA XXXV.

Ad Julianum episcopum coënsem[1]).

De Aëtio et Andrea.

SYNOPSIS.

1. Quod ipsi multa patienti compassus sit, gratias agit, simul de Aëtii dejectione expostulans. 2. Julianum CP. in speculis esse vult pro causa fidei; Anatolium ab imperatore esse increpatum. 3. De tumultu monachorum aegyptiorum et palaestinorum. 4. De epistola sua et de actis chalcedonensis synodi in latinum convertendis.

Leo episcopus Romae Juliano episcopo coënsi.

Caput I. Agnovi in dilectionis tuae literis fraternae caritatis affectum: quod de malis, quae multa et saeva pertulimus, pio nobiscum dolore compateris. Sed utinam haec, quae nos perpeti Dominus aut permisit, aut voluit, ad correctionem proficiant servato-

---

1) In edit. Baller. 113. al. 86. scripta 11. Mart. a. 453.

rum, et ut desinant adversitates, finiantur offensae. Quod utrumque de magna erit misericordia Dei, si et flagella removeat, et ad se suorum corda convertat. Sicut autem fràternitatem tuam ea, quae apud nos desaeviit, contristavit hostilitas, ita me anxium facit, quod in constantinopolitana ecclesia, quantum tuae indicant literae, haereticorum insidiae non quiescunt; et exquisitis occasionibus hi, qui catholicae fidei defensores fuere, vexantur. Nam dum Aetius ab officio archidiaconatus per speciem provectionis amovetur, et in locum ejus Andreas, qui ob haereticorum societatem fuerat abjectus, assumitur, dum beatae memoriae Flaviani accusatoribus honor redditur, et piissimi confessoris participes aut discipuli consternuntur, nimis aperte, quid episcopo ecclesiae ipsius placeat, demonstratur. In quem pro causae merito differo commoveri: et quid ipse mecum cum suis epistolis agat, quas missurum eum filius noster Aetius indicavit, exspecto: dans locum voluntariae emendationi, qua dolorem meum cupio mitigari. Clementissimo tamen principi et piissimae Augustae de his, quae ad custodiam pacis ecclesiasticae pertinent, scripsi: quos devotione suae fidei provisuros esse non dubito,

ne contra gloriam operis ipsorum damnata haeresis valeat pullulare[1].

Caput II. Studeat ergo dilectio tua, frater carissime, piam et necessariam curam solicitudini apostolicae sedis impendere, quae tibi apud se nutrito catholicam contra nestorianos et eutychianos haereticos actionem materno jure commendat, ut divino fultus auxilio, speculari de constantinopolitanae urbis opportunitate non desinas; ne praedictorum dogmatum impius usquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum fides, ut confidenter eis possis, quae sunt insinuanda, suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiae universalis utaris. Consulente autem dilectione tua de his, in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meae responsionis instructio: ut sequestrata earum actione causarum, quae in quibusque ecclesiis praesulum suorum debent cognitione firmari, hanc specialem curam vice mea functus assumas, ne haeresis vel nestoriana vel eutychiana in aliqua parte revirescat; quia in episcopo constantinopolitano catholicus vigor non est,

1) Cf. epistolam praeced.

nec multum aut pro sacramento salutis humanae, âut pro sua est aestimatione solicitus: cum si quid illi inesset spiritualis industriae, ita et a quibus ordinatus sit, et cui viro successerit, cogitare deberet, ut magis beatum Flavianum, quam sui honoris sequeretur auctores. Et ideo cum piissimi principes secundum obsecrationem meam dignati fuerint fratrem Anatolium de his, quae merito in querelam veniunt, increpare, jungat caritas tua diligentiam suam, ut universa scandala, adhibita plenissima correctione, resecentur, et a filii nostri Aetii cesset injuriis. Nam apud catholicum episcopum, etiam si erat, quod quacunque de causa succensendum archidiacono videretur, propter fidei reverentiam debuit praetermitti, potius quam locum catholici nequissimus haereticus obtineret. Cum itaque, quae sequantur, agnovero, tunc manifestius, quid agi oporteat, aestimabo. Nam interim, dolore cohibito, malui indulgere patientiae, ut locus esset veniae.

Caput III. De palaestinis vero monachis, qui jampridem in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moveantur, ignoro. Neque cujusquam sermone mihi patefactum est, quas causas videantur antefatae praeferre discordiae. Utrum scilicet eu-

tychianae perversitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant episcopum suum[1]) in hanc impietatem potuisse traduci, quod contra ipsorum locorum sanctorum testimonia, quibus totus mundus instruitur, ab incarnationis dominicae veritate desciverit; et quod in aliis per indulgentiam curari placuit, in illo putent non esse veniale. Unde cupio me super his plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue studeatur: quia aliud est contra fidem impie armari, aliud pro fide immoderatius commoveri. Chartas etiam, quas Aetius presbyter ante indicavit esse directas, et breviarium fidei, quod te misisse significas, necdum ad me noveris pervenisse. Unde, si expeditioris occasio se praebuerit perlatoris, libenter habeo, ut si qua est, quae utilis videatur, quam primum ad me mittatur instructio. De aegyptiis monachis quam quieti, aut cujus sint fidei, scire desidero; et de alexandrinae ecclesiae pace quid ad vos veris nunciis perferatur. Ad

---

1) *Episcopum suum* scil Juvenalem, qui erat episcopus hierosolymitanus. Hic in pseudosynodo ephesina adhaeserat Dioscoro et faverat Eutychi, sed mox resipuit. Cf. supra epist. 32. in nostra editione.

cujus episcopum vel ordinatores ipsius, seu clericos, qualia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te volui[1]. Ad clementissimum quoque principem, et ad religiosissimam Augustam quis nunc meus sermo sit missus, directa exemplaria perdocebunt.

Caput IV. Utrum autem epistola mea, quam de incarnationis dominicae fide, incolumi adhuc sanctae memoriae Flaviano, ad dilectionem tuam per Basilium diaconum miseram, fraternitati tuae tradita sit, scire desidero: quoniam suspectum habeo, quod de ejus textu nullum unquam indicium reddidisti. Gestorum synodalium, quae omnibus diebus concilii in chalcedonensi civitate confecta sunt, parum clara, propter linguae diversitatem, apud nos habetur instructio. Et ideo fraternitati tuae specialiter injungo, ut in unum codicem universa facias congregari, in latinum scilicet sermonem absolutissima

---

1) Magna exstiterat inter aegyptios dissensio ob ordinationem Proterii, qui in Dioscori depositi locum subrogatus fuerat. Porro hae Leonis ad Proterium literae desunt. In his Leo pleniorem et manifestiorem fidei expositionem ab eo petiisse videtur, ut colligere licet ex ep. 127., ubi sibi satisfactum esse testatur, necnon ex ep. 129., qua acceptis plenioribus a Proterio literis respondet.

interpretatione translata: ut in nulla parte actionum dubitare possimus, neque ullo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum. Data quinto Idus Martii, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXVI.

Ad episcopos, qui in sancta synodo chalcedonensi congregati fuerant, directa[1]).

SYNOPSIS.

1. Se consentire his, quae Chalcedone circa fidem constituta sunt. 2. Nunquam id a se ratum esse habendum, quod adversus nicaenos canones ibidem actum est.

Leo episcopus sanctae synodo apud Chalcedonem habitae.

Caput I. Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem

---

1) In edit. Baller. 114. al. 87. scripta 21. Martii 453. Cf. supra ep. Marciani imp. in nostra ed. 33. Occasionem autem huic epistolae dedit quorundam rumor, qui primo clam, dein palam spargebant, Leonem chalcedonense respuisse concilium, quod reprobaverit famosum canonem 28. Ad gravissimam itaque hanc calumniam diluendam assensus sui quoad ea, quae Chalcedone contra haereticos gesta sunt, ad episcopos prius ibidem collectos testem hanc epistolam misit. Ceterum ex hac adver-

sanctae synodi, quae ob confirmationem fidei in chalcedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum: quia nulla sinebat ratio, ut qui unitatem catholicae fidei dolebam ab haereticis fuisse turbatam, non exsultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solum ex ipso beatissimae consensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad constantinopolitanae urbis antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem sedis apostolicae manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quae in synodo chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, haec ad omnes fratres et coepiscopos nostros, qui praedicto concilio interfuerunt, scripta direxi, quae gloriosissimus et clementissimus princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicae fidei amore dignabitur, ut et fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui

sariorum hujus concilii fraude liquet, quanta fieret pontificis romani confirmatio. Putabant enim se letale huic concilio infligere vulnus, si possent in dubium vocare ejus confirmationem. Cf. infra ep. 38. c. 1.

vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam: in sola videlicet causa fidei, quod saepe dicendum est, propter quam generale concilium, et ex praecepto christianorum principum et ex consensu apostolicae sedis placuit congregari; ut damnatis haereticis, qui corrigi noluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Jesu Christi incarnatione dubitatio. Unde si quis unquam ausus fuerit, vel Nestorii tueri perfidiam, vel Eutychis ac Dioscori impium dogma defendere, a catholicorum communione resecetur: nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem, fratres carissimi.

Caput II. De custodiendis quoque sanctorum patrum statutis, quae in synodo nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut jura ecclesiarum, sicut ab illis 318 patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quaerat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum aestimet nomine roborandos, infirmum

atque irritum erit, quicquid a praedictorum patrum canonibus discrepavit. Quorum regulis apostolica sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus constantinopolitani antistitis conatus repuli[1]), poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, et me auxiliante Domino catholicae fidei et paternarum constitutionum esse custodem. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.

---

1) Cf. ep. 30. in hoc tomulo.

EPISTOLA XXXVII.

Ad Marcianum Augustum[1]).

SYNOPSIS.

1. De pace Ecclesiae reddita, compressis haereticorum reliquiis et Anatolio increpato gratias agit. 2. De monachis a Marciano cohibitis, et approbatione chalcedonensis synodi per se ad episcopos missa.

Leo episcopus Marciano Augusto.

Caput I. Multa mihi in omnibus clementiae vestrae literis causa gaudendi est, dum ex magna divinae providentiae misericordia praestitum humanis rebus experior, quod ecclesiasticam pacem, quae non nisi unitate praedicationis evangelicae custoditur, piissimo studio juvare dignamini: ut fidei vestrae gloria non solum utilitate reipublicae, sed etiam religionis profectibus augeatur, gloriosissime Auguste. Unde ineffabiliter

---

1) In edit. Baller. 115. al. 89. scripta 21. Martii 453.

Deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura haereticorum scandala praesciebat, vos in imperii fâstigio collocavit; in quibus ad totius mundi salutem et regia potentia et sacerdotalis vigeret industria. Nam cum vestro praecipue opere sit effectum, ut per synodale concilium damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret, ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscunque reliquiis deleatur. Quod facilius Clementia vestra arbitratur implendum, si per universas ecclesias definitiones sanctae synodi chalcedonensis apostolicae sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribentium consensus accesserit. quae a me secundum formam apostolicae doctrinae ac paternae traditionis emissa est; et per fratrem meum Lucianum episcopum tâlia et ad Gloriam vestram, et ad constantinopolitanum episcopum scripta direxerim, quae evidenter ostenderent, me eà, quae de fide catholica in praedicta synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eisdem literis[1]) ea, quae per occa-

1) *In eisdem literis* scil. 80. tom. hujus.

sionem synodi male sunt attentata, reprehenderam, maluit praedictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciae, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos observantiam meam de custodia canonum paternorum, pietatis vestrae affatibus indicastis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissime placere cognosco, ut et fides nicaena[1]) suam teneat firmitatem, et privilegia ecclesiarum illibata permaneant.

Cap. II. Quamvis autem de praeclaro fidei vestrae opere nihil vestra pietas indicarit, mihi tamen per veneratorem una mecum specialiter vestrum, fratrem meum Julianum episcopum innotuisse significo, quam pio dignati fueritis responso imperitorum monachorum animos et cohibere pariter et docere:

---

1) *Fides nicaena.* Definitio chalcedonensis, pro cujus firmitate imperator adeo erat sollicitus, poterat dici *nicaena*, quia erat haec eadem exactius tantum pro necessitate temporis contra novam haeresim declarata. Forte etiam s. pontifex his verbis respicit Marciani literas ad monachos palaestinos, quas a Juliano coensi transmissas una cum imperatoris epistola acceperat; in ipsis enim nicaena fides a patribus chalcedonensibus confirmata et explicata traditur.

ut, si illos non penitus deseruit divina miseratio, sentiant se et didicisse quod credant, et agnovisse quod timeant. Quia vero omnibus modis obediendum est pietatis vestrae religiosissimae voluntati, constitutionibus synodalibus, quae mihi de confirmatione fidei catholicae et de haereticorum damnatione placuerunt, libens adjeci sententiam meam; quae si, ut ad notitiam omnium sacerdotum ecclesiarumque perveniat, vestrae clementiae praeceptio ordinare dignabitur, adfuturam, credo et spero, gratiam Dei, quae tam sanctam tanti principis curam plenissimum desiderii sui fructum faciat obtinere, ut omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, apostolicae ubique doctrinae pax regnet et veritas. Fratri autem meo Juliano episcopo, noverit vestra Clementia, hoc me proprie delegasse, ut quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probaverit, meo nomine vestrae fiducialiter suggerat pietati: quoniam certus sum, vos ad haec omnia emendanda vel defendenda, Deo auxiliante, sufficere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Julianum episcopum coënsem[1]).

SYNOPSIS.

1. Se ut imperatori satisfaceret et occasionem haereticis auferret, ad episcopos chalcedonenses de consensu suo literas dedisse, etsi non necessarias. 2. De monachis edicto Marciani repressis et archimandritis Pulcheriae responsione increpatis. 3. De Eudocia a Leone monita ex secreto imperatoris mandato. 4. Aëtii dejectionem patienter habendam esse, ne aliarum ecclesiarum regimini se immiscens mensuram propriam videretur excedere. 5. Anatolium ab illyricianis subscriptionem in sui ambitus patrocinium elicere voluisse. De epistola ad chalcedonenses episcopos scripta.

Leo Juliano episcopo.

Caput I. Quam vigilanter, quamque devote pro catholica fide fraternitas tua excubet, literarum tuarum textus ostendit, qui-

---

1) In edit. Baller. 117. al. 88. scripta 21. Mart. 453.

bus instruentibus multum mea sollicitudo relevatur; accedente religiosi imperatoris religiosissima pietate, quam evidenter apparet ad universalis Ecclesiae firmamentum a Domino praeparatam: ut dum sancto studio pro fide agunt christiani principes, fidenter pro eorum regno supplicent Domini sacerdotes. Quod ergo necessarium credidit clementissimus imperator[1]), libenter implevi, ut ad omnes fratres, qui chalcedonensi synodo interfuerunt, scripta dirigerem, quibus placuisse mihi, quae a sanctis fratribus nostris de regula fidei confirmata sunt, demonstrarem propter eos scilicet, qui ad occasionem velandae perfidiae suae, infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quae nulla sunt consensus mei sententia roborata: cum tamen post reversionem fratrum, quos vice mea miseram, ad constantinopolitanum episcopum epistolas dederim: ut, si eas publicare voluisset, abunde ex ipsis potuisset agnosci, quanto gaudio ea, quae de fide synodus sanxerat, approbarem. Sed quia in eisdem continebatur, quale responsum accepisset ambitio, ignorari voluit, quod de fraternis constitutionibus sentiebam; ne simul co-

1) Cf. supra ep. XXXIII.

gnosceretur, quod pro inviolabili nicaenorum canonum auctoritate rescripseram. Unde studeat dilectio tua piissimum principem crebris suggestionibus commonere, ut adjunctis affatibus suis ad singularum provinciarum sacerdotes deferri apostolicae sedis scripta praecipiat; ne ulterius quisquam veritatis inimicus de silentio meo se excusare praesumat.

Caput II. De edicto autem christianissimi imperatoris, quo imperita quorundam monachorum insania, quid mereretur, ostendit, et de responsione piissimae Augustae, qua monasteriorum praesules increpavit, multum me gaudere significo; non ignorans hunc ipsis fervorem fidei divina inspiratione conferri, ut omnibus excellentiam ipsorum non solum regii culminis, sed etiam sacerdotalis esse appareat sanctitatis[1]), apud quos

---

1) *Sacerdotalis sanctitas.* Tria in sacerdotibus seu episcopis, inquiunt Ballerinii in annot. ad 1. notam Quesnelli in ep. 115. (in ed. nostra 37.), distinguenda, *ordo, potestas clavium* et *sollicitudo pro Ecclesia.* Si hanc postremam, quae vigilantiam, labores, industriam et curas pro fide, unitate et disciplina Ecclesiae affert, quispiam vel laicus, quantum per ipsum fieri possit, in se suscipiat, is utpote sacerdotalis sollicitudinis particeps, sacer-

ut fraternitati tuae familiarior esset fiducia, et nunc et antea postulavi, confidens de eorum benevolentia, quod necessariis suggestionibus non difficulter dignabuntur annuere.

Caput III. Et quia secretius mihi clementissimus imperator per filium nostrum Paulum mandare dignatus est, de admonenda filia nostra clementissima Augusta Eudocia[1]; feci quod voluit, ut literis meis, quam

---

dotis et episcopi titulum obtinere potest. Hoc sensu s. Leo *sacerdotalem industriam*, *mentem*, *animum*, *affectum*, *sanctitatem sollicitudinemque* commendat in Marciano et Leone imperatoribus (et in Pulcheria), qui pro fide ac unitate Ecclesiae contra Eutychis haeresim plurimum laborarunt. Cumque Marcianus et Pulcheria adversus eosdem haereticos doctissimas sanctiones ediderint juxta Ecclesiae et episcoporum doctrinam, *sacerdotalem* ipsis *inesse doctrinam* professus est. Simili sensu alia testimonia de aliis Augustis intelligenda sunt. Nemo tamen ob participationem sacerdotalis sollicitudinis (seu sanctitatis) quemquam laicum aeque participem censere potest vel sacerdotalis ordinis vel potestatis clavium, qua spiritualis jurisdictio significatur. Hanc enim competere solis sacerdotibus seu episcopis, quos *Spiritus s. posuit regere Ecclesiam Dei* (Act. 20, 28.), quibusque Ecclesiae claves in Petro traditae fuerunt a Christo, omnes catholici fatentur etc. Cf. Praefat. t. 25. opusc. n. 9. s.

1) *Eudocia.* Erat haec Theodosii junioris uxor,

fructuosum ipsi foret, si catholicae fidei faveret, agnosceret, et ut clementissimi principis filii sui[1]) literis super hoc admoneretur, obtinui: non ambigens ipsam quoque pio studio elaboraturam, ut auctores seditionum propositum suae professionis agnoscant, et si non intelligunt docentium praedicationem, saltem vindicantium timeant potestatem. Quem itaque profectum haec nostra cura obtineat, protinus literis dilectionis tuae opto cognoscere, et utrum tandem rebellis imperitia conquiescat; quae si de nostra putat ambigendum esse doctrina, saltem beatae memoriae Athanasii, Theophili et Cyrilli Alexandriae sacerdotum scripta non renuat: cum quibus ita fidei nostrae forma concordat, ut in nullo a nobis discrepet, qui se illis consentire profitetur.

Caput IV. Filio nostro Aëtio presbytero in suo moerore compatimur: et cum in locum officio ejus is fuerit adscitus, qui re-

---

quae in Palaestina monachis tumultuantibus aliquandiu favit, sicut et eutychianis. Resipuit vero nonnisi a. 456. post auditam Valentiniani necem et Eudoxiae filiae captivitatem.

1) *Filii sui.* Valentinianum intelligit, cui Eudoxia Eudociae filia nupserat.

probatione dignus fuerat judicatus, non est dubium hanc commutationem ad catholicorum injuriam pertinere. Sed patienter interim ista toleranda sunt, ne mensuram moderationis solitae videamur excedere: cum possit pro tempore satis esse praedicto, quod clementissimorum principum favore munitur, quibus eum proxime literis meis[1]) ita commendavi, ut apud religiosissimas mentes gratiam ipsius ăugendam esse non dubitem.

Caput V. Illud etiam nosse te volumus, Anatolium episcopum post coercitionem nostram in suae praesumptionis adeo temeritate persistere, ut illyricianos episcopos, ut sibi subscriberent, conveniret; quod nobis episcopus, qui a thessalonicensi[2]) ordinationis nuncius missus est, intimavit: cui ideo scribere noluimus, quamvis ipse hoc peteres debere fieri, quia eum corrigi nolle perspeximus. Duas a pari ad synodum epistolas feci: unam, cui exemplaria epistolae meae ad Anatolium episcopum datae subdi feci, alteram, quae exemplaria subdita non

---

1) Cf. supra ep. 34.

2) *A thessalonicensi* i. e. Euxitheo episcopo in Anastasii locum subrogato. — *Cui* i. e. Anatolio.

haberet; tuo permittens arbitrio, ut quam dandam esse clementissimo principi duxeris, hanc tradas, altera apud te retenta. Data duodecimo Kalendas Aprilis Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XXXIX.

Ad Maximum antiochenum episcopum[1]).
Per Marianum presbyterum et Olympium diaconum.

SYNOPSIS.

1. Fidem inter duo extrema mediam esse. 2. Maximum in orientalibus ecclesiis pro fidei puritate vigilare debere. 3. Ecclesiarum privilegia inconcussa esse oportere. 4. Anatolii conatus nicaenis canonibus adversos irritos fore. 5. Si quid legati in synodo approbarint praeter fidei causam, esse rescindendum. 6. Nemini praeter episcopos praedicandi munus esse concedendum.

Leo Maximo antiocheno.

Caput I. Quantum dilectioni tuae placeat communis fidei sacratissima unitas et pacis ecclesiasticae tranquilla concordia, literarum tuarum textus ostendit, quas ad me filii no-

---

1) In edit. Baller. 119. al. 92. scripta 11. Jun. 453.

stri Marianus presbyter et Olympius diaconus detulerunt, eo nobis gratiores, quod per ipsas alloquia alterna miscemus, et magis magisque innotescit gratia Dei, qua fit, ut per totum mundum de manifestato catholicae veritatis lumine gaudeatur. Quamvis, quod multum dolemus, quidam adhuc (sicut sermo indicat nunciorum) tenebras suas diligant; et cum ubique diei splendor exortus sit, etiam nunc caecitatis suae delectentur obscuro, et perdita fide, solo et vacuo remanserint nomine christiani, non habentes intelligentiam, qua errorem ab errore discernant, et blasphemiam Nestorii ab Eutychis impietate distinguant. Nec enim ideo excusabilis videri aliqua eorum falsitas potest, quia ipsi sibi sunt in sua perversitate contrarii. Nam licet Nestorium Eutychis discipuli detestentur, et Eutychen anathematizent Nestorii sectatores, catholicorum tamen judicio pars utraque damnatur, et ambae simul haereses a corpore Ecclesiae resecantur: quia neutra falsitas nobiscum potest habere concordiam. Nec interest, quo sacrilegio ab incarnationis dominicae veritate discordent, cum id, quod pravissime sentiunt, nec auctoritas Evangelii, nec ratio suscipiat sacramenti.

Caput II. Et ideo, frater carissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cujus Ecclesiae gubernaculis te Dominus voluerit praesidere, et ejus meminisse doctrinae, quam praecipuus apostolorum omnium beatissimus Petrus, per totum quidem mundum uniformi praedicatione, sed speciali magisterio in antiochena et romana urbe fundavit: ut illum in suae glorificationis domicilio praeeminentem ea intelligas reposcere instituta, quae tradidit, sicut ab ipsa, quam confessus est, veritate suscepit. Neque ullo modo sinas in orientalibus ecclesiis, maximeque in his, quas antiochenae sedi sacratissimorum patrum nicaeni canones deputaverunt, ab improbis haereticis Evangelio resultari, et vel Nestorii, vel Eutychis a quoquam dogma defendi. Quoniam sicut dixi, catholicae fidei petra, cujus cognomen beatus apostolus Petrus sumpsit a Domino, nullum recipit ab utraque impietate vestigium, sed evidenter atque perspicue et Nestorium anathematizat, qui Verbi carnisque naturam in beatae Virginis conceptione sejungens, unumque Christum in duos dividens, aliam Deitatis et aliam humanitatis voluit esse personam: cum omnino unus idemque sit, qui et secundum sempiternam

Deitatem de Patre est natus sine tempore, et secundum veram carnem de matre est natus in tempore. Et Eutychen similiter exsecratur, qui in Domino Jesu Christo veritatem humanae carnis evacuans, ipsum Verbum in carnem asserit transformatum, ut nasci, nutriri, proficere, pati, mori, atque sepeliri, et die tertio suscitari, solius fuerit Deitatis, quae servilis formae non veritatem susceperit, sed figuram.

Caput III Summa itaque vigilantia cautum te esse convenit; ne quid sibi haeretica pravitas audeat vindicare: cum te deceat his sacerdotali auctoritate resistere, nosque saepius de profectu ecclesiarum tuis relationibus, quid agatur, instruere. Dignum est enim, te apostolicae sedis in hac sollicitudine esse consortem, et ad agendi fiduciam privilegia tertiae sedis agnoscere, quae in nullo cujusquam ambitione minuentur; quia tanta apud me est nicaenorum canonum reverentia, ut ea, quae sunt a sanctis patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita praesulum, tamen jura permanent sedium: quibus etsi possint aemuli perturbationem āliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignita-

tem. Unde cum aliquid pro antiochenae ecclesiae privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis literis studeat explicare, ut nos consultationi tuae absolute et congrue respondere possimus.

Caput IV. Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod si quid a quoquam contra nicaenorum canonum statuta in quacunque synodo, vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil praejudicii potest inviolabilibus inferre decretis: et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quam praedictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. Subripiendi enim occasiones non praetermittit ambitio, et quoties ob occurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, difficile est, ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere: sicut etiam in ephesina synodo, quae impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis episcopus ad obtinendum Palaestinae provinciae principatum credidit se posse sufficere[1]), et insolentes ausus per commen-

---

1) Tametsi vetustissima fuerit hierosolymitana ecclesia et primum episcopum habuerit Jacobum apostolum fratrem Domini (Eusebius l. 2. Hist. cap. 1.),

titia scripta firmare. Quod sanctae memoriae Cyrillus alexandrinus episcopus merito perhorrescens scriptis suis mihi quid praedicti cupiditas ausa esset, indicavit[1]); et so-

---

subjecta tamen primis seculis usque ad synodum oecumenicam V. fuerat metropolitae caesareensi in Palaestina, ejusqne praerogativa in solis majoribus synodis effulgebat, in quibus proximus antiocheno patriarchae considebat, quod ipsum declarat canon 7. nicaenus, qui sic habet: „*Mos antiquus obtineat, ut Aeliae, id est Jerosolymae* (quam Aelius Adrianus eversam instauraverat) *episcopus honoretur*, salva metropolis (Caesareae Palaestinae) propria dignitate.“ Cum itaque sedes hierosolymitana ab antiquis temporibus caesareensi, ceu metropolitanae subjecta fuerit, merito carpit s. Leo Juvenalis ambitum, quod ad primatum Palaestinae per commentitia scripta ausus sit aspirare.

1) Cum synodus oecumenica ephesina I. celebrata sit an. 431., verba haec s. Leonis, quibus asserit, sibi s. Cyrillum alexandrinum, qui synodo illi nomine s. Caelestini I. Papae praesedit, cupiditatem Juvenalis hierosolymitani episcopi perscripsisse, et sollicita prece poposcisse, ne illicitis ausibus praeberetur assensio, intelligenda videntur de s. Leone tunc S. R. E. archidiacono, et magnae jam tum apud ipsum pontificem auctoritatis viro: neque enim verosimile videtur, s. Cyrillum, qui obiit an. 444. post decem aut plures annos a synodo ephesina elapsos Leoni jam pontifici Juvenalis ambitionem, qua in synodo ephesina sacrum provinciae Palaestinae principatum obtinere conatus est, significasse.

licita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus praeberetur assensio. Nam cujus epistolae ad nos exemplaria direxisti sanctae memoriae Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitam, nos authenticam noveris reperisse. Hoc tamen proprium definitionis meae est, ut quantumlibet amplior numerus sacerdotum aliquid per quorundam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem et octo patrum constitutionibus inveniatur adversum, id justitiae consideratione cassetur: quoniam universae pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur.

Caput V. Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, praeter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab apostolica sede sunt directi, ut excisis haeresibus, catholicae essent fidei defensores. Quicquid enim praeter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis patribus apud Nicaeam definitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicae sedis nunquam poterit obtinere consen-

sum. Quanta vero hoc diligentia custodiatur a nobis, exemplaribus ejus epistolae, quam ad constantinopolitanum episcopum, refrenantes ipsius cupiditatem, dereximus, instrueris: quam in omnium fratrum et consacerdotum nostrorum facies notitiam pervenire, ut noverint pacem ecclesiasticam, per concordiam Deo placitam, debere servari.

Caput VI. Illud quoque dilectionem tuam convenit praecavere, ut praeter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi docendi et praedicandi jus audeat vindicare, sive ille monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiae nomine glorietur[1]). Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiae filii, quae recta et sana sunt, sapiant, non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi praedica-

---

1) Hujus decreti occasio colligitur ex ep. sequenti c. 6. ob Theodoreti scil. querelas, quas legati e concilio chalcedonensi revertentes pontifici significarunt, de quibusdam monachis orientalibus, qui praedicationis officium sibi arrogabant. Forte indicatur Barsumas abbas cum suis asseclis, qui quantum Eutychi faveret, non tam ex pseudosynodo ephesina liquet, quam ex act. 4. chalcedonensi, ubi totam Syriam commovisse traditur. Ballerinii.

toris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent. Data tertio Idus Junii, Opilione viro clarissimo Consule.

EPISTOLA XL.

Ad Theodoretum episcopum Cyri *de fidei perseverantia*[1]).

SYNOPSIS.

1. Haereses non sine Ecclesiae utilitate ortas irretractabili judicio comprimi. 2. Christi esse victoriam, quam de haereticis Ecclesia reportat. 3. Dioscori pervicacia etiam adversus Leonem saevientis. 4. Scribentibus de rebus fidei sua verba esse libranda. 5. Theodoretum ab omni haereseos macula mundum esse demonstratum ab invincibili veritate. 6. Vigilandum esse etiam post victoriam. Neminem sive monachum, sive laicum, praeter sacerdotes praedicandi munus arrogare sibi debere.

Dilectissimo fratri Theodoreto episcopo Leo episcopus.

Caput I. Remeantibus ad nos fratribus, et consacerdotibus nostris, quos ad sanctum concilium sedes beatae Petri direxit, agno-

---

1) In edit. Baller. 120. al. 93. scripta 11. Jun. 453.

vimus dilectionem tuam, superno adjutorio, nobiscum tam nestorianae impietatis, quâm eutychianae vesaniae, exstitisse victricem. Unde gloriamur in Domino, cum propheta canentes: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram* (Ps. 123, 8): qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretrâctabili firmavit assensu[1]):

---

1) Hinc non sequitur, judicia romanae sedis, quasi per se non satis firma concilii oecumenici assensu et confirmatione indigere, ut passim Quesnellus inculcat; nam cum hanc definitionem s. Leo adscribat Deo, profecto non exigebat ad ejus firmitatem assensum concilii. Hinc passim suam definitionem in ep. 28. ed. nostra XI. ad Flavianum editam firmam habuit per sese et irretractabilem, ita ut nullam censuerit concilii necessitatem (ep. 37.), nec in concilio de fide voluit quaestionem moveri, ac si dubia et anceps esset doctrina, quam in eadem ep. definierat. Cf. ep. 82, 90, 93. c. 2., 94. (in edit. nostra XX). In ep. 88. ad Paschasinum episc. Lylibaetanum scripta ante concilium dicit se ipsi mittere hanc epistolam, *quam universalis Ecclesia amplectitur;* et iterum c. 3. refert „totam ecclesiam CP. cum monasteriis omnibus et multis episcopis praebuisse consensum“ et se „proxime epistolam CP. episcopi accepisse, quae refert, antiochenum episcopum missis per provincias suas tractoriis universos episcopos epistolae (ad Flavianum) praebuisse con-

ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis judicium recepisset: ut in hoc

---

sensum", quare ex sententia gallicanorum jam censeri debuit irretractabilis. Et revera synodus gallorum ep. 99., in ed. nostra XXIII., pro *symbolo fidei* illam habet. Sed jam ante hunc Ecclesiae consensum scripserat s. Leo ep. 34. c. 2. ad Julianum coënsem: „Ad fratrem nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causae scripta direxi, quibus et vestra dilectio et Ecclesia universa cognoscat, de antiqua et singulari fide, quam indoctus impugnator incessit, quid divinitus traditum teneamus et quid *incommutabiliter* praedicemus." Cf. etiam ep. 69, 70. Quod si sub Theodosii concilium petiit, illud non ob incertitudinem doctrinae jam definitae, quam retractari noluerat, sed ob removenda scandala et ob pacem facilius conciliandam postulavit. Neque episcoporum assensus per se est irretractabilis, sed redditur irretractabilis, cum pontificiam amplectuntur definitionem vel cum accedit pontificia confirmatio. Hoc est adeo verum, ut ipsi patres chalcedonenses ac dein Marcianus imperator chalcedonensis definitionis confirmationem a pontifice petierint, ne dubium haberetur, quod in concilio fuerat definitum (cf. ep. 98, 110. in nostra ed. XXII., XXXIII.), quo professi sunt, concilii judicia ut irretractabilia sint, pontificis indigere confirmatione; et Anatolius in sua ad Leonem ep. 101. (in nostra ed. XXV.) de gestis in concilio n. 3. fatetur: „Opus erat . . . ut in rectae fidei vestrae sensum omnium conveniret intelligentia." Cf. Ballerinii in h. l. et annot. quam praemisimus epistolae ad Flavianum.

quoque capiti membra concordent. In quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros saevius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt[1]), qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus bonum, malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur: et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum

1) *Inventi prius sunt*, illyriciani scil. et palaestini, dum legeretur ep. 28. ad Flavianum act. 2., dubitationem tribus in locis protulerunt, quam statim Aëtius et Theodoretus excludere nisi sunt. Illyriciani vero, quibus adhuc nonnihilum ambigentibus ac inducias petentibus quinque dies concessi fuerunt, didicere quae ob diversitatem linguae in Leonis epistola non recte intellexerant: et similiter palaestini, ut traditur act. 4.

quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit[1]. Multum denique sa-

---

1) Falluntur qui ex his verbis colligunt, Leonem putasse episcopis in chalcedononsi liberum et licitum fuisse, suam definitionem in ep. 28. ad Flavianum expositam ita examini subjicere, ut potuissent ab ea dissentire et judicium ei contrarium pronunciare. Id nunquam s. Leo permisisset, qui ad Pulcheriam imperatricem ep. 95. c. 1. declarat, se legatos misisse, „datis etiam ad venerabilem synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas advocata cognosceret, *quam formam servare in hac dijudicatione deberet*: ne ulla temeritas aut fidei regulis aut canonum statutis aut benignitatis remediis obviaret.“ Hoc etiam agnoverunt patres concilii, unde „Cecropius reverentissimus episcopus sebastopolitanus dixit: Emerserunt quae ad Eutychen pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo romanae urbis, et sequimur eum et epistolae omnes subscripsimus. Reverentissimi episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus: sufficiunt quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri (Hard. II, 286).“ Multiplex enim alicujus doctrinae examen distingui potest, alius atque alius hujus examinis finis. Potest doctrina haeretica examini subjici, ut reprobetur et damnetur: de aliquo doctrinae capite quaeritur, an illud sit revelatum, hinc examini subjicitur, ut comprobetur revelatum ac de eo demum definitio edatur. Potest et dogma catholicum examini subjici, non quasi id foret dubium, sed ut ait s. Leo „ut veritas clarius renitescat et fortius retineatur“, scil. ut inquiratur in ejusdem fundamenta, ambitum, sensum; ut comprobetur con-

cerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exserendi fiducia, ut vincatur adversitas: ne quod per

---

quisitis Scripturae effatis atque testimoniis traditionis, ut refellantur haereticorum argumenta et dissipentur nutantium dubia. Hoc sensu concilia posteriora subinde examini subjecerunt, quae jam in prioribus peremptorie definita fuerant, et hoc sensu concilia particularia confirmarunt conciliorum oecumenicorum decreta: hoc autem examen non supponit dubium de definitionis certitudine, sicut nec examen theologi probe orthodoxi, quo accurate expendit dogmata catholica. Ejusmodi examen permisit s. Leo, laudat etiam hic reddita praeclara ratione; tale examen instituit concilium chalcedonense. Hoc etiam sensu „summorum servatur auctoritas, ut non imminuatur inferiorum libertas." Si vero inferiorum libertas hoc exigeret, ut examine instituto possint et definita reprobare, non amplius servaretur summorum auctoritas. Ceterum ipsi patres ephesini in sententia depositionis Nestorii affirmant (Harduin. coll. conc. 1, 1422): „*Coacti* per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Coelestini romanae ecclesiae episcopi lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum (Nestorium) sententiam necessario venimus." Cf. supra praefat. n. 20. Orsi de irreformabili rom. pontificis judicio t. 1. p. 1. cc. 15, 17; p. 2. c. 37.

se probatur reprobum, silentii praejudicio videatur oppressum.

Caput II. Exsulta igitur, carissime frater, et in unico Dei Filio victor exsulta. Vicit per nos ille pro se, cujus carnis veritas negabatur. Vicit per nos et pro nobis ille, cui vicimus. Secunda est post adventum Domini haec orbi festivitas. Redditum seculo est, praedone prostrato, Incarnationis divinae mysterium, quod humani generis inimicus, quia rebus ipsis auferre non poterat, calumniis obscurabat. Quinimo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium, quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa veritate suis dicente discipulis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur.* Solis justitiae jubar, densis per Orientem Nestorii et Eutychis nebulis impeditum, pure ab Occidente resplenduit, ubi culmen summum in apostolis et doctoribus principaliter collocavit. Quamvis nec illic unquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios reservavit[1]): ità ut dum denuo conaretur ho-

1) *Confessores sibi reservavit;* ut Flavianum aliisque, qui se Eutychi opposuerunt. *Per secundi Pha-*

stis antiquus per secundi Pharaonis impoenitens cor, fidei Abrahae semen et filios repromissionis exstinguere, Deo miserante, languescens, nisi sibi nocere nihil posset. De quo et illud omnipotens mirabilius egit, quia et quos sibi socios ad israelitici populi caedes adsciverat, non cum tyrannidis auctore submersit, sed cum suo populo congregavit: et, sicut revera se dignum, et soli sibi possibile fons misericordiae noverat, victos a nobis, nobiscum fecit esse victores. Nam dum solus vere sit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo jam triumphare non dubium est, quos sibi veritas vindicavit. Nunc prorsus illa Redemptoris nostri dictum, quam sint divinae auctoritatis, apparet, dum contra hostes fidei sic aptantur, ut de ipsis dictum dubitare non liceat: *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio, et in veritate non*

---

raonis. Indicatur Dioscorus aegyptius, qui in latrocinio ephesino multa in catholicos *fidei Abrahae semen et filios repromissionis* per vim molitus est, ut eutychianam haeresim induceret. Qui autem terrore victi ei cesserunt, remota vi ad sanam mentem et Ecclesiam rediere. Ad hos in sequentibus s. Leo respicit.

stetit, quia veritas in eo non est. Quando loquitur mendacium, ex suis loquitur, quia mendax est, et pater ejus (Joan. 8, 44).

Caput III. Nihil ergo mirandum est, quod hi, qui in veritate Dei nostrae naturae mendacium crediderunt, patri suo et circa ista concordant, quicquid visum, quicquid auditum, quicquid denique, teste Evangelio, tactum est atque palpatum in unico Dei Filio, non ejus cujus probatum est, asserentes[1]), sed coaeternae et coessentialis Patri fuisse substantiae: quasi aut divinitatis natura crucis ligno transfixa sit, aut inconvertibilis crescere per aetates, et in sapientia proficere sapientia sempiterna, vel Spiritu Deus, qui Spiritus est, subinde repleri potuerit. In hoc quoque se acerba vesania, ex quo auctore cesserit, prodit, quod quantum in se est, universis nocere molita est. Nam qui vos persequendo afflixit, ceteros ad consensum sceleris impellendo depravavit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus, quia membra nostra sunt, vulnerasset, a speciali dolore fecit exceptos, quibus nova et inaudita prius

1) *Non ejus, cujus probatum est,* scil. naturae humanae, sed *coaeternae* etc., hoc enim dicendum erat admissa in Christo una tantum natura.

atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus injuriam[1]). Sed utinam vel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo aeternae damnationis interitu contristasset. Quam mensuram sceleris praetermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec vivis parcendo, nec mortuis, etiam in sanguine innocentis et catholici sacerdotis pollutas jampridem[2]), abdicata veritate atque approbata falsitate, manus intinxit? Et cum scriptum sit: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (1. Jo. 3, 15): ille, quod odio jam fecisse dictus est, implevit operibus, quasi nec haec audisset, nec illud, quod Dominus ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis*

---

1) Innuitur excommunicatio a Dioscoro lata contra ipsum suum caput, romanum pontificem, quem ausum antea inauditum detestatur synodus chalcedonensis ep. 98. in nostra ed. XXII. n. 2.

2) *Pollutas jampridem manus.* Non enim in ephesino latricinio malitiae suae tirocinium posuit, sed Liberato diacono teste c. 10. Breviarii, statim ac ordinatus est episcopus Alexandriae „oppressit Cyrilli heredes et per calumnias multas ab eis abstulit pecunias.“ Praeterea eum ut origenistam et arianum infamant libelli adversus eum oblati in concilio chalcedonensi, nec non tamquam homicidam, incendiarium et turpissimae vitae nebulonem. Quesnellus.

corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est (Matth. 11, 29). Dignus diabolici praedicator erroris aegyptius vastator inventus est, qui tamquam saevissimus tyrannus Ecclesiae, nefandas blasphemias per violentam seditiosorum turbam et per cruentas manus militum venerandis fratribus imponebat. Et cum voce Redemptoris nostri firmatum sit, unum eundemque homicidii esse et falsitatis auctorem (Joan 8, 44), ille pariter utrumque complevit; quasi non ut caveantur, sed ut perpetrentur, scripta sint, ad perditionis suae cumulum trahens, quae Dei Filius monuit ad salutem. Illud quoque surda nimis aure praeteriens, quod ab eodem Domino dictum est: *Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor, et vos, quod vidistis apud patrem vestrum, facitis* (Ibid. 38).

Caput IV. Igitur dum sanctae memoriae Flaviano vitam praesentis seculi moliretur auferre, se verae vitae luce privavit. Dum vos ab ecclesiis vestris conaretur expellere, se a christianorum collegio segregavit. Dum trahit plurimos et impellit ad erroris assensum, multiplici animam suam vulnere sauciavit, solus ultra omnes, et per omnes, ac pro omnibus reus, qui causa reatus omni-

bus fuit. Sed licet his tua fraternitas solido cibo firmata indigere minime videatur: tamen, ut quod nostri loci est, impleamus circa vocem dicentis apostoli: *Praeter ea, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (2. Cor. 11, 28)? hoc praecipue praesenti occasione credimus admonendum, frater carissime, ut quotiescunque divina gratia administrante, illos, qui foris sunt, fonte doctrinae aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis, quas Spiritus sancti divinitas in chalcedonensi concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem[1]) novellae perfidiae sermonem nostrum cum omni cautela libremus: non jam, quod absit, tamquam de dubiis disceptantes, sed auctoritate summa, quae bene definita sunt, adstruentes: cum et in apostolicae sedis epistola universalis sanctae synodi assensu firmata, tanta divinae auctoritatis testimonia

---

1) *Inter utrumque hostem* i. e. inter nestorianos et eutychianos, qui oppositis erroribus catholicam fidem impetentes maximam loquendi cautionem exigebant, ut s. pontifex explicat capite sequenti.

noverimus esse congesta, ut nullus queat ulterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit, et synodâlia gesta, vel quibus primum[1]) definitio fidei legitur esse formata, vel quibus praefatae literae apostolicae sedis, etiam tuae fraternitatis studio defensae sunt, et maxime ad piissimos principes totius concilii allocutio, tot sint praecedentium patrum testimoniis roborata, ut cuivis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non jam cum diâbolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere.

Caput V. Unde hoc quoque nos contra hostes Ecclesiae providere condignum est, ut eis nullam calumniandi occasionem, quod ad nos attinet, penitus relinquamus, nec unquam contra nestorianos aut eutychianos agentes, alteri eorum videamur terga ver-

---

1) *Primum.* Fidei definitio in chalcedonensi actione 5. formata fuit, literae autem Leonis ad Flavianum antecedentibus actionibus 2. et 4. vindicatae ac totius synodi assensu receptae fuere; ac propterea *primum* de ordine temporis intelligi nequit, vel exactum ordinem Leo secutus non est. Porro cum act. 2. Leonis ep. 28. legeretur, cumque adversus quamdam ejusdem epistolae sententiam ab illyricianis ac palaestinis difficultates ingererentur, Theodoretus simile s. Cyrilli testimonium afferens, eam propugnavit. Ballerinii.

tisse, sed utrosque Christi hostes aequa lance vitemus atque damnemus: ita ut eos, quoties audientium quantalibet poscit utilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptissime atque evidentissime feriamus, ne si hoc a nobis aut obscurius fieri videatur, aut tardius, putetur invitum[1]). Quod quamvis prudentiam tuam res ipsae admonere sufficiant, jam tamen et experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni haereseos macula mundum te secundum sedis apostolicae judicium[2])

1) Haec admonitio Theodoretum respicit, qui ob defensum antea Nestorium et ob impugnatum Cyrillum in nestorianismi suspicionem venerat; unde in synodo chalcedonensi, ut se catholicum probaret, Nestorio anathema expresse dixit: quod ne exigentibus patribus invite fecisse videatur, hic eidem Leo insinuat, ut data occasione non tam Eutychem quam Nestorium cum suis impiis dogmatibus, *digno anathemate promptissime atque evidentissime feriat.* Ballerinii.

2) Hujus judicii sedis apostolicae testimonium exstat in chalcedonensi act. 1., ubi judices dixerunt (t. 4. coll. conc. ed. venetae p. 874): „Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo“; et act. 8. (p. 1523.) iidem judices concilii sententiam pro Theodoreto postularunt, *sicut et sanctissimus Leo ar-*

demonstravit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probavimus ac probamus, pro universalis Ecclesiae defensione servaveris. Nam quod Deus omnium calumniosorum fallacias solvit, maximam beatissimi Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus: qui postquam suâe sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec circa cujusquam vestrum, qui nobiscum pro catholica fide laborastis, personam quicquam reprobum videri permisit: quia nec poterat, Spiritu sancto judicante, quisquam ex eis non victor exire, quorum jam vicerat fides.

Caput VI. Quod superest, exhortamur, ut quia illic nonnullas eutychiani ac nestoriani erroris reliquias cognovimus remansisse, nunc etiam sedi apostolicae collabores. Victoria enim, quam Christus Dominus noster suae donavit Ecclesiae, quamdiu in hoc mundo versamur, licet fiduciam majorem

---

chiepiscopus judicavit. Quibus concinens totum concilium dixit: *Post Deum Leo judicavit;* et legati pontificis (p. 1526): „Theodoretum sanctissimus et beatissimus universae Ecclesiae episcopus urbis Romae Leo dudum in communione suscepit ita, sicut literae ab eo ad nostram humilitatem testantur.“ Ballerinii.

tribuat, non tamen in totum sollicitudinem perimit: nec ut dormiamus donata est, sed ut suavius laboremus. Unde in hoc quoque tuae vigilantiae sollicitudine volumus adjuvari, ut tua relatione currente, quid apud illas regiones doctrina dominica proficiat, apostolicam sedem festines instruere: quatenus illius regionis sacerdotes, in quocunque usus exegerit, adjuvemus[1]). De his vero, quae in saepe dicto concilio illicita contra venerabiles nicaenos canones praesumptione tentata sunt, ad fratrem et coepiscopum nostrum antiochenae sedis praesulem scripsimus[2]); adjicientes et illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorundam regionis vestrae verbo mandasti per vicarios nostros, et hoc specialiter statuentes, ut praeter Domini sacerdotes nullus audeat praedicare, seu monachus[3]), sive ille sit lai-

1) En etiam in remotissimas Orientis plagas extendebatur romani pontificis sollicitudo.

2) *Scripsimus.* Cf. praeced. epistolam.

3) Monachi illi, quos s. Leo praedicandi munere interdicit, non solum vitam contemplativam profitebantur, verum etiam contra proprium vitae institutum aliis praedicabant, et sive ex inscitia, sive ex malitia errores spargebant: alia est conditio monachorum et coenobitarum posterioris aevi, qui et vitam activam cum contemplativa ex instituto conjun-

cus, qui cujuslibet scientiae nomine glorietur. Quas tamen literas, pro utilitate universális Ecclesiae, per praedictum fratrem et coepiscopum nostrum Maximum, ad omnium voluimus pervenire notitiam: et ob hoc his noluimus earum exemplar adjicere; quia quae praedicto fratri et coepiscopo nostro injunximus, non dubitamus implenda. *Et alia manu*: Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data tertio Idus Junii Opilione viro clarissimo Consule.

---

gunt, et verbi Dei praedicatione ab apostolica sede aliisque praesulibus sibi commissa multis infidelium regionibus lucem Evangelii intulerunt, et magno cum fructu fidelium, et pietatis religionisque orthodoxae incremento funguntur hoc munere.

EPISTOLA XLI.

Ad monachos palaestinos[1]).

SYNOPSIS.

1. Ex perversa epistolae s. Leonis ad Flavianum interpretatione impositum esse palaestinis. 2. Tam Eutychen qui naturas confundit in Christo, quam Nestorium qui personas geminat, esse detestandos. 3. Christi non esse participem, qui nostram in eo naturam non confitetur. 4. Illos solum Christi sanguine mundari, in quorum corpore oblatus, passus et mortuus triumphavit. 5. Utriusque ejus naturae proprietates ex operum qualitate declarari. 6. Utramque inconfuse in una persona convenire. 7. Nihil Filio Dei accessisse de novo nisi in forma servi. 8. Cum iisdem monachis de scandalis ipsorum furore ortis expostulat. 9. Ut resipiscant et fidem communem amplectantur, exhortatur.

Leo episcopus universis monachis per Palaestinam constitutis.

Caput I. Sollicitudini meae, quam universali Ecclesiae omnibusque ejus filiis debeo,

1) In edit. Baller. 124. al. 97. scripta circa 15. Junii 453.

multorum relatione patefactum est, dilectionis vestrae animis quiddam offensionis illatum, dum aut imperiti, ut apparet, interpretes, aut maligni[1]), quaedam vos aliter intelligere, quam a me sunt praedicata, fecerunt[2]); non valentes in graecum eloquium apte et proprie latina transferre, cum in rebus subtilibus et difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisque sufficiat. Quod tamen apud me eo profecit, ut dum ea, quae catholica fides respuit, improbatis, intelligamus vos veris amicitiores esse, quam falsis, et id merito refutare, quod

---

1) Etiam in ep. 130, 131. de corruptione suae epistolae conqueritur.

2) Magna hic rursus observante Baronio ad an. 453. summi pastoris apparuit prudentia, pro diversitate rerum, temporum ac personarum gregem pascentis, qui factus omnia omnibus, ut omnes lucri faceret, singulis accommodata impertiit medicamenta; excusat ergo monachos, quod ipsi catholicae mentis sint, sed in depravatam ab haereticis ipsius epistolam offendentes extra catholicam Ecclesiam se constituerint; quamobrem rursus, quae vera sit orthodoxa fides, quae duas simul inter se contrarias haereses nestorianam et eutychianam jugulet, eadem epistola pluribus docet. Tam prospere vero, eodem narrante Baronio, haec agendi ratio sanctissimo et sapientissimo pontifici successit, ut omnes monachi illi ad catholicam Ecclesiam conversi sint.

ex antiquae institutione doctrinae etiam ipse detestor. Quamvis enim epistola mea ad sanctae memoriae Flavianum episcopum data, satis sibi ad manifestationem sui ipsa sufficiat, neque in aliquo aut purgationis aut expositionis indigeat; et alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quibus similiter praedicationis meae sensus in aperto est. Necessitatem enim habens contra haereticos, qui multos Christi populos conturbaverant, disserendi, et clementissimis principibus et sancto concilio synodali, et constantinopolitanae ecclesiae, quid de incarnatione Verbi, secundum evangelicam apostolicamque doctrinam, deberemus sapere ac sentire, patefeci, et in nullo a sanctorum patrum confessione discessi: quia una est, vera, singularis, catholica fides, cui nihil addi, nec minui potest: quam Nestorius prius, et nunc Eutyches, diversa quidem assertione, sed simili impietate impugnare conati sunt et Ecclesiae Dei duas haereses sibimet contrarias inferrè tentarunt, ut uterque a discipulis veritatis merito damnaretur: quia insanum nimis et sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt.

Caput II. Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam virginem Mariam hominis

tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis, nec unum Christum in Verbo Dei et carne sentiret, sed separatim atque sejunctim, alium Filium Dei, alium hominis praedicaret, cum manente illa incommutabilis Verbi essentia, quae ei cum Patre et Spiritu sancto intemporalis atque coaeterna est, ita intra virginea viscera Verbum caro sit factum, ut uno conceptu unoque partu eadem virgo, secundum unionem utriusque substantiae, et ancilla Domini esset et mater. Quod etiam Elisabet, sicut Lucas evangelista declarat, intellexit et dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (Luc. 1, 43)? Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum haereticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit, ut negata humanae carnis atque animae veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius asserat esse naturae, tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit; et concipi et nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, et ascendere in coelum, et in Patris dextera, unde ad judicandos vivos et mortuos veniet, considere, (divinae) ejus tantum essentiae fuerit, quae nihil horum in se

sine carnis recipit veritate: quoniam natura unigeniti, natura est Patris, natura est Spiritus sancti, simulque impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternae Trinitatis indivisa unitas et consubstantialis aequalitas. Unde si ab Apollinaris perversitate haereticus iste desciscit, ne convincatur Deitatem passibilem sentire atque mortalem: et tamen Verbi incarnati, id est, Verbi et carnis unam audet pronunciare naturam, non dubie in Manichaei et Marcionis transit insaniam, et mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum simulatorie omnia credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium.

Caput III. Quae impietatis mendacia quoniam olim fides càtholica detestatur, et talium sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum sunt damnâta sententiis, quicunque illi sunt ita obcoecati et a lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei a tempore incarnationis humanam, id est, nostram negent inesse naturam, ostendant, in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, si per beatae virginis partum, aut caro sine Deitate, aut Deitas est orta sine carne.

Sicut enim negāri non potest, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14), ita negari non potest, quod *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (2. Cor. 5, 19). Quae autem reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi hominum causam mediator Dei hominumque susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei aequalis erat Patri, in forma servi particeps esset et nostri: ut per unum novum hominem fieret renovatio vetustatis, et mortis vinculum unius praevaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vinculā retinerent, quoniam, sicut Apostolus ait, *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (Rom. 5, 20). Et cum sub peccati prāejudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis.

Caput IV. Quam itaque sibi in hujus sacramenti praesidio spem relinquunt, qui in Salvatoris nostri corpore negant humanae

substantiae veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti? quis est *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. 5, 2)? aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit? Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiae, non dona justitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit: cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus Christus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (Joa. 12, 32). Fides etenim vera justificans impios, et creans justos, ad humanitatis suae tracta participem[1]), in illo acquirit salutem, in quo solo homo se inve-

---

1) *Ad humanitatis suae tracta participem* i. e. ad Christum, qui particeps est ejusdem naturae, quam habet credens ipse, translata seu in eo collocata.

nit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostrae humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

Caput V. Quamvis ergo in uno Domino nostro Jesu Christo, vero Dei atque hominis filio, Verbi et carnis una persona sit, et utraque essentia communes habeat actiones [1]): intelligendae tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sincerae fidei contemplatione cernendum est, ad quae provehatur humilitas infirmitatis, et ad quae inclinetur altitudo virtutis: quid sit quod caro sine Verbo non agit, et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia, nec conciperet Virgo, nec pareret: et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentia non adorarent magi puerum novo sidere declaratum: et sine veritate carnis non juberetur transferri

---

1) *Utraque essentia communes habeat actiones.* Idem significat, quod supra ep. 28. (in nostra ed. 11.) c. 4.: „Agit utraque forma cum alterius communione," de quorum sensu cf. annot. subjectam. Ceterum id ipse s. Leo explicat subjectis exemplis, et c. 7. repetit docens „nec sine homine divina, nec sine Deo humana" peracta fuisse.

in Aegyptum puer, et ab Herodis persecutione subduci. Sine Verbi potentiâ non diceret vox Patris missa de coelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matth. 3, 17): et sine veritate carnis non protestaretur Joannes: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (Joa. 1, 29). Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium et vivificatio mortuorum: et sine veritate carnis nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur aequalem, et sine veritate carnis non idem diceret, Patrem se esse majorem: cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quae secundum proprietatem divinae humanaeque substantiae unum Dei Filium, et hominem credit, et Verbum.

Caput VI. Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero Virginis *Verbum caro factum est* (Joa. 1, 14), nihil unquam inter divinam humanamque substantiam divisionis exstiterit, et per omnia incrementa corporea unius personae fuerint totius temporis actiones; ea ipsa tamen, quae inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus; sed quid cujus formae sit, ex operum qualitate sentimus. Nec divina enim humanis prae-

judicant, nec humana divinis, cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur. Dicant igitur isti phantasmatici christiani, quae substantia Salvatoris affixa sit ligno, quae jacuerit in sepulchro, et revoluto monumenti lapide, quae tertio die caro surrexerit; vel quale corpus Jesus discipulorum visui clausis ad eos ostiis ingressus intulerit: cum ad ambigendam cernentium diffidentiam, inspici oculis digitisque tractari patentes adhuc fixuras clavorum, et recens compuncti lateris vulnus exigeret (Joan. 20, 26)? At si in tanta luce veritatis tenebras suas haeretica obduratio non relinquit, ostendant, unde sibi spem vitae polliceantur aeternae, ad quam nisi per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, non potest perveniri? *Non enim est aliud nomen datum hominibus sub coelo, in quo oporteat salvos fieri* (Act. 4, 12.): nec est redemptio captivitatis humanae, nisi in sanguine ejus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1. Tim. 2, 6). *Qui*, sicut praedicât beatus Apostolus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem*

hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Philip. 2, 6).

Caput VII. Quamvis ergo unus sit Dominus Jesus Christus; et verae Deitatis veraeque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, neque hujus unitionis soliditas ulla possit divisione sejungi: exaltationem tamen, qua illum exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quae ditanda erat tantae glorificationis augmento. In forma quippe Dei aequalis erat Filius Patri, et inter Genitorem atque Unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas; nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Formà autem servi, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnae pietatis implevit, humana humilitas est, quae in gloriam divi-

nae potestatis evecta est, in tantam unitatem ab ipso conceptu virginis Deitate et humanitate connexa, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate aequalis est Deo, dicitur exaltatus. Nec interest, ex qua Christus substantia nominetur: cum inseparabiliter, manente unitate personae, idem sit et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem[1]). Quicquid ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui, quae non habuit, conferuntur. Nam secundum potentiam Verbi indifferenter omnia, quae habet Pater, etiam Filius habet, et quae in forma servi a Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipse donavit. Est idem ipse et dives et pauper. Dives, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 1). Pauper vero, quia *Verbum*

1) Hisce confirmantur quae diximus *de idiomatum communicatione* in annot. ad ep. XI. t. praeced. p. 179.

caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1, 14). Quae autem est ejus exinanitio, quaeve paupertas, nisi formae servilis acceptio, per quam, Verbi majestate velata, dispensatio humanae redemptionis impleta est? Nam quia captivitatis nostrae resolvi originalia vincula non poterant, nisi exsisteret homo nostri generis nostraeque naturae, quem veteris debiti praejudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum letale dilueret, sicut ab initio erat divinitus praeordinatum: ita est in plenitudine praefiniti temporis factum, ut multis modis significata promissio, in diu exspectatum veniret effectum; nec posset esse ambiguum, quod continuis testificationibus semper fuerat nunciatum.

Caput VIII. Destructis itaque tot haeresibus, quae per sanctam devotionem praesidentium patrum a corpore sunt catholicae unitatis abscissae, quaeque ideo extorres a Christo esse meruerunt, quia Verbi incárnationem, quae singularis est recte credentium salus, fecerunt sibi lapidem offensionis et petram scandali: miror dilectionem vestram in discernendo veritatis lumine laborare. Et cum multis manifestationibus declaratum sit, quam recte et Nestorium et Eutychen

cum Dioscoro fides christiana damnaverit, nec christianus possit vocari, qui vel illius, vel horum impietati praebet assensum: doleo vos evangelicae et apostolicae doctrinae, ut audio, resultare, exagitando seditionibus civitates, conturbando ecclesias, nec solum injurias, sed etiam caedes presbyteris atque episcopis inferendo: ut prae furore et saevitia propositi vestri et professionis sitis immemores. Ubi est regula mansuetudinis et quietis? ubi longanimitas patientiae? ubi tranquillitas pacis? ubi firmamentum dilectionis et tolerantiae fortitudo? Quae vos ab Evangelio Christi aut persuasio abduxit, aut persecutio separavit? Vel quae tanta exstitit decipientis astutia, ut obliti prophetarum et apostolorum, obliti symboli salutaris et confessionis, quam pronunciantes coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturae fuerant ungulae, quid saeva tormenta, si ad expugnandam fidei vestrae integritatem tantum vanâ haereticorum commenta valuerunt? Pro fide vos agere creditis: et fidei contraitis. Ecclesiae nomine armamini, et contra Ecclesiam dimicatis. Hoccine à prophetis, hoc ab evangelistis, hoc ab apostolis didicistis? ut ne-

gantes veram Christi carnem, et ipsam Verbi essentiam passioni mortique subdentes, alienam faciatis nostram a suo reparatore naturam, totumque quod crux intulit, quod lancea vulneravit, quod sepulchri lapis suscepit et reddidit, solum fuisse opus divinae potentiae, non etiam humilitatis humanae? Propter quam Apostolus dicit: *Non enim erubesco Evangelium* (Rom. 1, 16): quoniam noverat, quale christianis ab inimicis objiceretur opprobrium. Et ideo etiam Dominus protestabatur, dicens: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor illum coram Patre meo* (Matth. 10, 32). Hi enim non erunt digni confessione Filii et Patris, quibus nunc caro Christi verecundiam facit: probabuntque se nullam de signo crucis sumpsisse virtutem, qui quod praeferendum frontibus acceperunt, promere labiis erubescunt.

Caput IX. Declinate, filii, ab his diabolicis persuasionibus declinàte. Veritatem Deì nulla res violat, sed veritas nos nisi in nostra carne non salvat. *Veritas* quippe, sicut propheta ait, *de terra orta est* (Ps. 84, 12); et sic Verbum Maria virgo concepit, ut uniendam ipsi carnem de sua substantia ministraret, nec cum adjectione personae,

nec cum evacuatione naturae[1]): quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam servi, ut unus atque idem in forma utraque sit Christus; inclinante se Deo usque ad infima hominis, et proficiente homine usque ad summa Deitatis, dicente Apostolo: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen* (Rom. 9, 5).

1) *Nec cum adjectione personae,* scil. ita peperit b. Virgo Christum secundum carnem, ut natura humana careret propria personalitate (humana), non haberet personalitatem propriam, utpote cum ea fuerit hypostatice assumpta ab ipso conceptionis exordio, et hoc tenendum est contra Nestorium. *Nec cum evacuatione naturae*, scil. natura a Verbo ex Maria V. assumpta erat natura humana vera, plena, integra, quo semel admisso corruit Eutychis haeresis de una tantum in Christo natura: hic enim error, ut saepe inculcat s. Leo, defendi nequit; quin in docetarum somnia incidamus.

EPISTOLA XLII. ANATOLII
EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

AD

LEONEM PAPAM[1]).

SYNOPSIS.

1. De intermisso literarum commercio amice conqueritur. 2. Aëtium restitutum esse, Andream vero depositum scribit. 3. Literis sancti pontificis recreari peroptat. 4. Ambitionis culpam a se amolitur, eamque in cleri sui episcoporumque orientalium studium refundit.

Sanctissimo ac beatissimo coepiscopo papae Leoni Anatolius in Domino salutem.

Caput I. Omne quidem solatium prorsus atque auxilium, quod vitae laboriosae curis-

1) In edit. Baller. 132. scripta circa Aprilem 454. Putant autem fratres Ballerinii, Anatolium epistolam graece scripsisse, dein per alios prius latine redditam graecis literis subsignasse atque ita ad Leonem misisse: hinc textum latinum, qui modo exstat, pro originali esse habendum.

que vallatae ratio flagitaret, in vestra positum sperans esse Beatitudine, totius sarcinam mihi sollicitudinis inde merito leviorem fore credideram: nunc vero cunctis aliis acrior me pressit anxietas, quam diutina peperit vestrae non solita Sanctitatis intermissio literarum; maxime cum mihi, quae scripta essent a vobis aliis, ostenderentur epistolae, quae magis facerent doloris augmentum, qui frequentius cuperem potiri vestris affatibus: ut illa vobis obediendo complerem[1]), quae vestris omnifariam perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus absit, ut eis ego, quaecunque mihi fuissent mandata per literas, adversarer. Quia tamen piissimus et christianissimus princeps, qui consultissimae suae providentiae bono tam res universas regit humanas, quam philosophia divinarum pollet ubique virtutum, cum quibus aemula pietatis zelare non cessat, cum sic moderatur genus humanum, ut id studio religionis in Deum reddat attentius, vestrae Beatitudinis literas mihi sublegit, ea statim, quae continebantur eis, ut placita vobis implevi, quod me facere vel

1) En quam se obnoxium censuit Anatolius primae sedis antistiti.

communis pacis utilitas, vel quod decuerat, hortabatur.

Caput II. Et reverentissimus quidem sacrosanctae ecclesiae noster presbyter Aëtius in priore loco atque honore ecclesiastico nobis est restitutus: omne quod episcopi nostri est modeste faciens ipse responsum[1]). Andreas autem, qui non provectus a nobis, sed gradu faciente archidiaconi dignitate fuerat honoratus, ab Ecclesia separatus est cum his, qui contra sanctae memoriae patrem nostrum atque episcopum fuerant Flavianum, qui etiam partis antea perfidissimi fuerant Eutychetis: quamvis excusationibus plurimis et subscriptionibus propriis, quas

1) Locus corruptus et valde obscurus secundum Ballerinios. *Nobis est restitutus*, i. e. *a nobis* est restitutus. *Omne quod episcopi* forte *episcopii*. Quid significetur sequentibus, colligi forte potest ex verbis ep. 127. ad Julianum coensem c. 3.: „Aëtium presbyterum, quem asseris fuisse discussum, gratulamur cognitione habita in omnibus fuisse purgatum.“ Archidiaconus fuerat et forte circa administrationem bonorum accusationem aliquam incurrerat. Infra *ab Ecclesia separatum* forte significat, Andream tantum fuisse omni gradu et officio ecclesiastico privatum, quoad Leo rescriberet, quid de ipso agendum judicaret. Ceterum de hoc negotio cf. supra ep. 111, 113. seu 34, 35. in nostra editione.

epistolae Sanctitatis vestrae subdiderant, jam viderentur satisfecisse praeteritis, eo usque quamdiu quod vobis placitum super istis fuerit ordinatum.

Caput III. Considerans ergo Beatitudo vestra, quam nostrae conjunctio caritatis ipsi Domino Christo, qui pax nostra consistit, grata futura sit; et quantum fidelissimi principis animus exsultabit; et quam pariter universa plebs Dei et Ecclesiae Christi procul ab omni discordia liberae permanebunt: literis suis nos laetificare dignetur, quibus illo perfici valeamus affectu, quem prudentissimis vestris insitum copiose jam novimus vigere praecordiis: ut perceptis alacriter vestrae Sanctitatis epistolis, et gratias agamus Domino Deo nostro Christo, qui totius difficultatis vincula disrupit, eidemque vota solemnia pro vestra Beatitudine persolvamus.

Caput IV. De his autem, quae constantinopolitanae gratia sedis sancita sunt in chalcedonensi nuper universali synodo, pro certo Beatitudo vestra hoc habeât, nullam esse culpam in me, homine qui semper otium et quietem in humilitate me continens, ab ineunte mea aetate dilexerim. Sed constantinopolitanae ecclesiae reverentissimus clerus

est, qui hoc habuit studium, et istārum partium religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adjutores. Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae Beatitudinis fuerit reservata[1]). Hoc igitur bene compertum Sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius causa factum esse negotii, qui semper omnem jactantiae levitatem et aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim. Omnem fraternitatem in Christo, quae cum vestra est Sanctitate, tam ego ipse, quam mei plurimum salutamus. *Et subscriptio literis graecis.*

---

1) Hoc testimonium laudat Gelasius in ep. ad Dardanos 26. n. 10.: „Audiant, inquit, Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius constantinopolitanum, quam se tentasse talia confitentem, atque in apostoli praesulis totum dicentem positum potestate.“ S. Leo vero respondens Anatolio ep. 135. haec in ejus excusationem animadvertit (c. 3.): „Illam autem culpam, quam de augenda potestate, aliena (ut asseris) adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua caritas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses. Quia sicut in mala suasione delinquitur, ita et in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater carissime, est, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit etc.“

EPISTOLA XLIII.

Ad Juvenalem jerosolymitanum episcopum[1].

SYNOPSIS.

1. Ipsum in sedem suam receptum esse gaudet non dissimulata priori ejus tergiversatione. 2. Eundem ipsis mysteriorum locis edoceri. 3. Ex veritate crucifixionis veritatem nostrae in Christo carnis defendi. 4. Errantes circa incarnationem Domini ex utriusque testamenti paginis instrui.

Leo urbis Romae episcopus Juvenali jerosolymitano episcopo.

Caput I. Acceptis dilectionis tuae literis, quas ad me filii nostri Andreas presbyter et Petrus diaconus detulerunt, gavisus quidem sum, quod tibi ăd episcopatus tui sedem redire licuisset: sed confluentibus in recordationem omnibus causis, quae te per

---

1) In edit. Baller. 139. al. 110. scripta 4. Sept. 454. Pro hujus epistolae intelligentia cf. supra ep. 109. in nostra edit. 82.

quosdam excessus laborare fecerunt, dolui adversitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam, et resistendi haereticis constantiam perdidisse, quia aestimant, non esse tibi liberum, ut eos audeas redarguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatae enim memoriae Flaviani condemnatio et impiissimi Eutychis receptio, quid nisi Domini nostri Jesu Christi secundum carnem negatio fuit? quam ipse grandi misericordia sua fecit resolvi, cum detestandum illud ephesinae synodi judicium, ita sancti chalcedonensis concilii auctoritate destruxit, ut nullum depravatorum a remedio correctionis arceret. Unde quia in tempore indulgentiae resipiscentiam magis, quam pertinaciam delegisti, (ita) gaudeo te coelestem expetisse medicinam, ut fidei ab haereticis impugnatae tandem possis esse defensor. Quamvis enim nulli sacerdotum liceat nescire, quod praedicat; inexcusabilior tamen est omnibus imperitis quilibet Jerosolymis habitans christianus, qui ad cognoscendam virtutem evangelii, non solum paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum testimoniis eruditur. Et quod alibi non licet non credi, ibi non potest non videri. Quid laborat intellectus, ubi est magister aspectus? Et cur lecta vel audita

sunt dubia, ubi se et visui et tactui tot humanae salutis ingerunt sacramenta? Quasi ad singulos quosque cunctantes Dominus adhuc voce corporea utatur, et dicat: *Quid turbati estis, et quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere* (Luc. 24, 38).

Caput II. Utere igitur, frater carissime, invictissimis catholicae fidei documentis, et evangelistarum praedicationem sanctorum locorum, in quibus degis, testificatione defende. Apud te est Bethleem, in qua salutifer davidicae virginis partus illuxit, quem involutum pannis inter angustias diversorii, praesepe suscepit. Apud te est declarata ab angelis, adorata á magis, et per multorum infantium mortes ab Herode quaesita Salvatoris infantia. Apud te est, ubi pueritia ejus adolevit, ubi adolescentia maturuit, et per incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non sine cibo esuritionis, non sine somno quietis, non sine fletu miserationis, nec sine pavore formidinis: unus enim atque idem est, qui et in Dei forma operatus est miracula magna virtutis, et in forma servi subiit saevitiam pas-

sionis. Hoc tibi ipsa crux indesinenter loquitur, hoc lapis clamat sepulchri, in quo Dominus humana conditione jacuit, et de quo divina potentia resurrexit. Et cum ad montem Oliveti, locum ascensionis veneraturus, accedis, nonne illa vox angelica in tuo resultat auditu, qua elevationem Domini stupentibus dicitur: *Viri galilaei, quid statis aspicientes in coelum? hic Jesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (Act. 1, 11).

Caput III. Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat; quoniam ipse in nostra carne nascitur, qui in nostra carne crucifigitur, quae nullo interveniente peccato, nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis [1]). Ut autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, ac vim ve-

---

1) *Non potuisset esse mortalis* scil. in praesenti rerum ordine, in quo nonnisi invidia diaboli intravit mors (Sap. 2, 24), in quo mors non est nisi stipendium peccati (Rom. 6, 23), et per peccatum mors (ib. 5, 12). Cum ergo Christus funditus quavis careret vel peccati umbra, corpus ei debebatur morti non obnoxium. Sed ut satisfacere posset, tale voluit assumere corpus, quale habebat genus nostrum, jam mortale per Adami peccatum factum.

teris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus solvendo vacuavit (Coloss. 2, 14): ut sicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes; inde in homines manante justitia, ubi[1]) humana est suscepta natura. Nulla enim ratione extra nostri est corporis veritatem, de quo Evangelista praedicationem inchoans dicit: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (Matth. 1, 1); beati Pauli apostoli consonante doctrina, cum dicit: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula* (Rom. 9, 5). Itemque ad Timotheum: *Memento*, inquit, *Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David* (2. Tim. 2, 8).

Caput IV. Haec autem veritas quantis et novi et veteris testamenti auctoritatibus declaretur, pro antiquitate sacerdotii tui evidenter agnoscis, cum fides patrum et scripta mea ad sanctae memoriae Flavianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adjecta universalis synodi confirmatione, sufficiant. Unde prospicere oportet dilectionem tuam, ut contra redemptionis ac spei nostrae in-

1) *Ubi*, idem ac *quando*, vel *quia*.

effabile sacramentum, nullus obmurmuret. Sed si qui sunt, qui adhuc aut ignorantia caligant, aut perversitate discordant, eorum, quorum in Ecclesia Dei apostolica fuit et clara doctrina, auctoritatibus instruantur, ut de incarnatione Verbi Dei hoc nos credere, quod illi credidere, cognoscant; neque se extra corpus Christi, in quo commortui et conresuscitati sumus, sua obduratione constituant: quia nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, ut aut in sua essentia passibilis fuerit Deitas, aut in nostrae susceptione nāturae mentita sit veritas. Data pridie Nonas Septembris, Aëtio et Studio viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XLIV.

Ad Leonem Augustum[1]).

SYNOPSIS.

1. Post chalcedonensem synodum nihil esse denuo tractandum circa fidem. 2. Antichristum eum esse, qui veritatem ab Ecclesia declaratam rursus examinat. 3. Parricidas alexandrini episcopi Ecclesiae praesidere nefas esse. 4. Preces Leoni Augusto oblatae tam a catholicis, quam ab haereticis, in quo differant. 5. Omnia christianae religionis officia et mysteria apud Alexandriam esse intercepta. 6. Scripta de fide prolixiora promittit, Anatolii incuriam taxat, catholicos commendat.

Leo episcopus Leoni Augusto.

Caput I. Literas clementiae tuae plenas virtute fidei et lumine veritatis veneranter

---

1) In edit. Baller. 156. al. 125. scripta 1. Dec. 457. Hujus epistolae haec exstitit occasio. Defuncto Marciano ineunte a. 457. gravis tumultus Alexandriae ortus est. Plebs nimirum instigata a seditiosis monachis Eutychi addictis, quos forti manu Marcianus prius represserat, in coena Domini heb-

accepi: quibus cuperem etiam in eo, quod praesentiam meam pietas vestra necessariam existimat, obedire, ut majorem fructum conspectu vestri splendoris assequerer. Sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonstravit. Nam cum sancto et spiritali studio in universum pacem Ecclesiae muniatis, nihilque sit convenien-

---

domadae sanctae in ipso ecclesiae majoris baptisterio Proterium episcopum (in Dioscori locum substitutum) occidit eique Timotheum Aelurum, caedis auctorem et hominem scelestissimum, subrogavit. His minime contenta factio haeretica synodum chalcedonensem damnavit, epistolam Leonis ad Flavianum anathemate feriit, novam synodum ab imperatore poposcit. Hic quo precibus eutychianae in Aegypto partis aliqua saltem ratione annueret, novae synodi loco omnium per orbem episcoporum sententiam per literas exquirendam censuit. Quem in finem libellos tum catholicorum Aegypti episcoporum, tum Aeluri ejusque partis ad omnes metropolitas et potissimum ad romanum antistitem direxit, petens, ut uniuscujuscunque provinciae coacta synodo ejusdem sensum literis aperirent. His acceptis pontifex hanc scripsit epistolam. Ceterum hac occasione maxime ostendit s. Leo curam ecclesiae universalis sibi esse concreditam: quamplurimas enim scripsit in hoc negotio literas ad diversarum regionum episcopos (ep. 144—150; 152—158; 160, 162), ut strenue defenderent concilium chalcedonense, boni episcopi electionem Alexandriae promoverent, et ne nova celebraretur synodus universalis.

tius fidei defendendae, quam his, quae per omnia instruente Spiritu s. irreprehensibiliter definita sunt, inhaerere: ipsi videbimur bene statuta convellere, et auctoritates, quas Ecclesia universalis amplexa est, ad arbitrium haereticae petitionis infringere, atque ita nullum colligendis ecclesiis modum ponere, sed data licentia rebellandi, dilatare magis, quam sopire certamina. Unde, quia post illas ephesinae synodi impietates, quibus Dioscori scelere fides catholica refutata et perversitas eutychiana suscepta est, nihil ad conservationem fidei christianae utilius potuit ordinari, quam ut praedicti facinus sancta synodus chalcedonensis aboleret; et tanta illic haberetur coelestis cura doctrinae, ut nihil in cujusquam opinione resideret, quod a praedicationibus vel propheticis, vel apostolicis dissonaret, ea scilicet moderatione servata, ut rebellibus tantum ac pertinacibus ab Ecclesiae unitate rejectis, nulli correcto venia negaretur: quid probabilius, quid religiosius poterit pietas vestra decernere, quam ut quae non tam humanis, quam divinis sunt statuta decretis, nullus ultra sinatur impetere: ne vere digni sint tantum Dei munus amittere, qui de veritate ipsius ausi fuerint dubitare?

Cap. II. Cum ergo universalis Ecclesia per illius principalis petrae aedificationem facta sit petra[1], et primus apostolorum beatissimus Petrus voce Domini dicentis audierit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18): quis est, nisi aut antichristus, aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem: qui in malitia sua inconvertibilis perseverans, per vasa irae et suae apta fallaciae, falso diligentiae nomine, dum veritatem se mentitur inquirere, mendacia desiderat seminare? Atque contemnenda et vitanda merito sibi incontinens furor et impietas coeca praescripsit, ut dum diabolico instinctu in sanctam alexandrinam saevit ecclesiam, quales essent qui chalcedonensem synodum retractari cupiunt, disceretur. In qua nullo modo accidere potuit, ut a nobis con-

---

1) Ecclesia dicitur *petra*, ut significetur ejus invicta et indefectibilis firmitas: facta autem est petra a principali petra i. e. a Christo ejus auctore et architecto: et facta est petra a Christo petra quatenus eam aedificavit supra Petrum. Ergo in ordine intentionis mediante Petro Ecclesia redditur invicta et indefectibilis: hinc ipse Petrus (ejusque successores) quatenus Ecclesiae est fundamentum in fide sit indefectibilis oportet: quod alibi s. Leo clarius docet cf. opusc. 14, 8. s.; 24. s

tra sanctam nicaenam synodum sentiretur, quod haeretici mentiuntur, qui se fidem nicaeni concilii tenere confingunt, in quo sancti et venerabiles patres nostri contra Arium congregati, non carnem Domini, sed deitatem filii Homousion Patri esse firmaverunt; in chalcedonensi autem concilio adversus eutychianam impietatem definitum est, de substantia Virginis Matris Dominum Jesum Christum sumpsisse nostri corporis veritatem.

Caput III. Apud christianissimum igitur principem, et inter Christi praedicatores digno honore numerandum, utor catholicae fidei libertate, et ad consortium te apostolorum ac prophetarum securus exhortor: ut constanter despicias ac repellas eos, qui ipsi se christiano nomine privavere; nec patiaris impios parricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat fidem velle vacuare. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas; depellendo

scilicet pervasores juris alieni, et antiquae fidei sedem alexandrinae ecclesiae reformando: ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, religiosae antea civitati non retribuat, quae admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui, venerabilis imperator, omnes, qui per totum orbem sunt, Domini sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare. In qua te specialius ambiunt, qui apostolicae fidei sectatores alexandrinae ecclesiae praesedere[1]) agentes apud pietatem tuam, ne haereticos homines, et merito pro sua perversitate damnatos, uti sua persuasione patiamini: cum sive impietatem erroris aspicias, sive opus perpetrati furoris attendas, non solum ad sacerdotii honorem admitti nequeant, sed ab ipso christiano nomine mereantur abscindi. Nam, quod exorata pietatis vestrae venia dixerim, quodam contagio splendorem vestrae serenitatis obfuscant, cum sacrilegi parricidae id audeant petere, quod nec innocentes liceat obtinere, gloriosissime imperator.

Caput IV. Oblatae sunt pietati vestrae preces, quarum exemplaria vestris literis

---

1) *Praesedere*, ut Athanasius, Cyrillus etc.

subdidistis. Sed in his, quae catholicorum sunt deplorantium subscriptio continetur: et quia causa probabilis est, fiducialiter nomina singulorum, vel dignitas sui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo principi haeretica porrigere non formidavit obreptio, sub incerto confusae universitatis vocabulo, ideo certum nomen retrahitur, ne non solum paucitas personarum, sed etiam meritum detegatur. Latere enim sibi utile existimat eorum quantitas, quorum est qualitas judicata: nec incongrue cujus loci homines sint, profiteri metuunt, qui meruere damnari. In una ergo catholicorum supplicatio continetur; in alia haereticorum commenta pànduntur. Hic sacerdotum Domini et totius christiani populi ac monasteriorum defletur eversio; ibi immanium scelerum continuatio demonstratur; ut quod non licuit auderi, liceat dilatari.

Caput V. Nonne perspicuum est, quibus pietas vestra succurrere, et quibus debeat obviare; ne alexandrina ecclesia, quae semper fuit domus orationis, spelunca sit nunc latronum? Manifestum quippe est, per crudelissimam insanissimamque saevitiam omne illic coelestium sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificii oblatio,

defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria. Nec ullo modo ambigi potest, quid de his decernendum sit, qui post nefanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi sacerdotis effusum, et concremati corporis cinerem in contumeliam aeris coelique dispersum, audent sibi jus pervasae dignitatis expetere, et apostolicae doctrinae inviolabilem fidem ad concilia provocare. Magnum ergo vobis est, ut diademati vestro de manu Domini etiam fidei addatur corona, et de hostibus Ecclesiae triumphetis: quia si laudabile vobis est adversarum gentium arma conterere, quanta erit gloria, ab insanissimo tyranno alexandrinam ecclesiam, in cujus contritione omnium christianorum est injuria, liberare?

Caput VI. Ut autem literae meae pietati tuae colloquium quasi praesentis exhibeant, quicquid de communi fide fueram suggesturus, scriptis prosequentibus insinuandum esse perspexi. Ac ne hujus epistolae pagina in nimiam longitudinem tenderetur, aliis literis, quae assertioni catholicae fidei congruunt, comprehendi, ut licet ea, quae a sede apostolica sunt praedicata, sufficerent, insidias tamen haereticorum etiam haec,

quae sunt adjecta, reserarent. Sacerdotalem namque et apostolicum tuae pietatis animum, etiam hoc malum ad justitiam ultionis debet accendere, quod constantinopolitanae ecclesiae puritatem pestilenter obscurat, in qua inveniuntur clerici quidam haereticorum sensui consonantes, et intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis haereticos adjuvantes. In quibus deturbandis, si frater meus Anatolius, cum nimis benigne parcit, segnior invenitur, dignamini pro fide vestra, etiam istam ecclesiae praestare medicinam, ut tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab urbis habitatione pellantur: ne ulterius sanctus Dei populus perversorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuae Julianum episcopum et Aëtium presbyterum mea petitione commendo, ut suggestiones eorum pro catholicae defensione fidei placide digneris audire: quia vere sunt ejusmodi, ut fidei vestrae possint per omnia utiles inveniri. Data Kalendis Decembris, Constantino et Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XLV.

Ad Nicaetam episcopum aquilejensem[1]).

SYNOPSIS.

1. Quod debeant feminae, quae captis viris nupserant aliis, regressis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod suum est, unusquisque recipiat. 2. Quod non probetur esse culpabilis, qui uxorem captivi in matrimonium videtur esse sortitus. 3. Ut si viri de captivitate regressi, intemperantia uxorum offensi non fuerint, et voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem. 4. Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiae, ecclesiastica communione privandae sint. 5. Captivis, aut terrore, aut fame, non veneratione, cibos immolatitios edere compulsis, poenitentia concedenda est. 6. Quod hi, qui ad iterationem baptismi vel vi, vel errore coacti, animos inclinarunt, sint sublevandi remedio, ita ut senilis aetatis, periculorum quoque et aegritudinum, ceterarumque necessitatum habeatur sollicita consideratione respectus. 7. Ut qui ab haereticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus invocatione firmentur.

Leo episcopus Nicetae aquilejensi episcopo salutem.

---

1) In edit. Baller. 159. al. 129. scripta 21. Martii 458.

Regressus ad nos filius meus Adeodatus diaconus sedis nostrae, dilectionem tuām poposcisse memoravit, ut de his a nobis auctoritatem apostolicae sedis acciperes, quae quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur adferre. Sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, ut vulnera, quae hostilitatis adversitate illata sunt, religionis maxime ratione sanentur.

Caput I. *De feminis, quae occasione captivitatis virorum suorum, aliis nupserunt.* — Cum ergo per bellicam cladem, et per gravissimos hostilitatis incursus, ita quaedam dicatis divisà esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminae eorum remanserint destitutae: quae cum viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam a dominatione crederent liberandos, ad aliorum conjugium solitudine cogente, transierint[1]). Cumque nunc statu rerum, auxiliante

1) Mirum, qua ratione ex his verbis, quae non Leonis responsum, sed Nicetae interrogationem continent, intulerint centuriatores magdeburgenses, s. Leonis esse doctrinam: „Non peccare mulierem, si nubat alteri viro, dum existimat primum maritum vivere, sed ad se nunquam rediturum"; cum s. pontifex hoc ipso cap. ex evangelii verbis doceat: ma-

Domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui putabantur periisse, remeaverint, merito caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quae aliis junctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum, quod *a Deo jungitur mulier viro* (Prov. 19, 14); et iterum praeceptum agnovimus, ut *quod Deus junxit, homo non separet* (Matth. 19, 6): necesse est, ut legitimarum foedera nuptiarum redintegranda credamus, et remotis malis, quae hostilitas intulit, unicuique hoc, quod legitime habuit, reformetur[1]): omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est.

Cap. II. *An culpabilis sit, qui locum captivi mariti assumpsit.* — Nec tamen culpabilis judicetur, et tamquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assum-

trimonii vinculum insolubile esse; et cap. 2. quemadmodum possessiones redeuntibus dominis, ita conjuges reducibus maritis esse reddendas; et denique cap. 4. secundas ejusmodi nuptias abrumpendas esse adeo severe statuat, ut mulieres obsequi nolentes etiam communione ecclesiastica privari velit.

1) *Reformetur* i. e. restituatur, ad pristinam formam, statum revocetur.

psit. Sic enim multa, quae ad eos, qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in jus alienum transire potuerunt: et tamen plenum justitiae est, ut eisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus rite servatur: quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum est; ut quod bellica necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur?

Caput III. *Restituendam esse uxorem primo marito.* — Et ideo, si viri post longam captivitatem reversi ita in dilectione suarum conjugum perseverent, ut eas cupiant in suum redire consortium[1]), omit-

---

1) Hinc non sequitur, uxorem potuisse manere cum viro secundo, si prior rediens noluisset eam recipere. Ex universo enim responso liquet, s. Leonem habuisse haec matrimonia pro invalidis viro in captivitate adhuc vivente, hinc sub excommunicationis poena vult ejusmodi uxores cogi (c. 4), ut ad priores redeant viros, sicut possessionem censet (c. 2.) illegitimam, Domino vivente et comparente. Ejusmodi connubium excusat solum in tanta rerum perturbatione, nec puniendum statuit seu „*omittendum est* et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.“ Porro quid faciendum sit, si viri e captivitate redeuntes uxores suas recipere amplius nollent, non decernit pontifex, quia de hoc non fuit

tendum est et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit; et restituendum, quod fides poscit.

Caput IV. *Excommunicandas esse mulieres ad primum maritum redire nolentes.* — Si autem aliquae mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captae, ut malint his cohaerere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandae; ita ut etiam ecclesiastica communione priventur: quae de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malae voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hae mulieres, quae reverti ad viros suos nolunt, impiae habendae sunt; ita illae, quae in affectum ex Deo initum redeunt, merito sunt laudandae.

Caput V. *De his, qui captivi cum essent, idolothyta fame, vel metu compellente co-*

---

consultus. Verum et in hoc casu dissolvendum esse secundum s. Leonem connubium postea initum, inde videtur consequi, quod absque ulla exceptione uxores etiam intentata excommunicationis poena cogi vult, ut ad prius *legitimum* redeant matrimonium.

mederunt. — De his autem christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi caritatis tuae hoc etiam respondendum esse credidimus, ut poenitentiae satisfactione purgentur, quae non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est. Et sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum, cum hujusmodi cibus pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus[1]).

Caput VI. *De his, qui metu vel errore rebaptizati sunt.* — His vero, de quibus dilectio tua similiter nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, et nunc se contra catholicae fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram non nisi per poenitentiae remedium, et per impositionem

1) Hinc etiam non sequitur, s. Leonem censuisse, horum captivorum peccatum non esse abolendum, si cibos immolatitios non tantum fame vel terrore cogente, sed etiam *pro religionis veneratione* sumpserint; sed tantum mitius cum illis agendum, quam si pro religionis veneratione sumpsissent: hoc enim in casu tamquam apostotae essent tractandi, qui rigidae utique subjiciebantur poenitentiae.

episcopalis manus, communionis recipiant unitatem, tempora poenitudinis, habita moderatione, tuo constituente judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos: pariter etiam habens senilis aetatis intuitum, et periculorum quorumque, aut aegritudinis respiciens necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc poenitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri.

Caput VII. *De his, qui semel baptizati sunt, sed ab haereticis.* — Nam hi, qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt[1]), quia formam tantum

---

1) *Confirmandi sunt.* Haec intelligit Quesnellus de confirmationis sacramento, putans confirmationem secundum s. Leonem ab haereticis valide conferri non posse. Similia s. Leo statuit ep. 166. ad Neonem: „Hoc tantum, quod ibi defuit conferatur, ut per episcopalis manus impositionem virtutem s. Spiritus consequantur." Et in ep. 167. ad Rusticum c. 18.: „Per manus impositionem invocata virtute Spiritus s., quam ab haereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt". Sed „palam est, animadvertunt fratres Ballerinii in h. l., hic impositionem manuum indicari, non qua confirmatio-

baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus ecclesiis praedicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Ephes. 4, 5). Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed ut diximus, sola sanctificatio Spiritus sancti invocanda est, ut quod ab haereticis

---

nis sacramentum semper ministratum fuit hominibus jam renatis atque justificatis, sed qua gratia Spiritus s. carentes ob haeresim et ab Ecclesia separati, eam gratiam recipiebant (seu ut solet dici, qua sacramenta baptismi et confirmationis valide quidem sed infructuose collata reviviscerent) et in Ecclesiae unitatem admittebantur. Haec autem manuum impositio ritus erat poenitentiae: unde s. Stephanus in decreto de recipiendis haereticis sanxit „ut manus illis imponatur *in poenitentiam*", quae formula confirmationis sacramento nequaquam convenit. Et similiter Crescens a Cirta in concilio carthaginensi III. Cypriani tempore, „ut per manus impositionem in poenitentiam Ecclesiae reconcilientur." Et Innocentius I. ep. 24. ad Alexandrum: „Eorum (haereticorum) laicos sub imagine poenitentiae et s. Spiritus invocatione per manus impositionem suscipimus." Et s. Cyprianus ep. 71, ‚in poenitentiam manuum imponere.' Haec verba *in poenitentiam* omnem sacramenti confirmationis suspicionem amovent." Quod alio adhuc argumento Ballerinii probant.

nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. Hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem tuae fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos episcopos facies pervenire, ut in omnium observantia data prosit auctoritas. Data XII. Kalendarum Aprilium, consulatu Majoriani Augusti.

EPISTOLA XLVI.

Ad Leonem Augustum[1]).

SYNOPSIS.

1. Legatos mittit vice sua pro Ecclesiae libertate acturos, rogatque, ne bene definita ad novum tractatum revocentur. 2. Semper disputationi locum fore, si humano ratiocinio et rhetorum loquacitate expendi mysteria sinantur. 3. Quam Evangelio et humanae saluti inimicum sit eutychianorum dogma a synodo proscriptum: cui nulla disputatione derogari debet. 4. Parricidas alexandrinos omni indulgentia indignos esse, quibus tamen, si resipiscant, de misericordia non desperandum. 5. Legatos commendat, quos mittit non disceptaturos, sed supplicaturos; quaenam pro pace Ecclesiae sint agenda; correctis poenitentiam non negandam, obduratis sub synodali sententia remanentibus.

Leo episcopus Leoni Augusto.

Caput I. Multis manifestisque documentis probatum mihi esse gaudens, quanto

---

1) In edit. Baller. 164. al. 133. scripta 17. Aug. 458. Celebris est haec epistola apud veteres,

universali Ecclesiae consulatis affectu, praeceptis pietatis vestrae, ubi primum licuit, parere non distuli, dirigens Domitianum et Geminianum fratres et coepiscopos meos, qui apud vos preces meae sollicitudinis exsequentes, pro quiete vobis doctrinae evangelicae supplicarent, et libertatem fidei, in qua secundum eruditionem Spiritus sancti ipse praecipue emines, obtinerent, repulsis procul hostibus Christi, qui etiamsi voluissent furorem suum tegere, non laterent; quia alia est dominici gregis sancta simplicitas, alia sub vestitu ovium simulatio latentium bestiarum: nec possunt jam per hypocrisim irrepere, quos tantae furor manifestavit insaniae. Agnosce igitur, Auguste et venerabilis Imperator, in quantum totius mundi praesidium divina sis providentia praeparatus, et quid auxilii matri tuae Ecclesiae debeas, quae te filio maxime gloriatur, intellige. Non sinantur contra dexterae omnipotentis triumphos redivivis assurgere motibus exstincta certàmina; praesertim cum

---

hinc Vigilius, Pelagius et Facundus nonnulla ex ea afferunt; Prudentius vero Tricassinus in l. de praedestinatione dimidiam fere partem descripsit.

id damnatis jamdudum haereticorum ausibus omnino non liceat, et hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis Ecclesiae plenitudo, in suae unitatis soliditate secura permaneat, nihilque prorsus de bene compositis retractetur: quia post legitimas et divinitus inspiratas constitutiones velle confligere, non pacifici est animi, sed rebellis; dicente Apostolo: *Verbis enim contendere, ad nihil est utile, nisi ad subversionem audientium* (2. Tim. 2, 24).

Caput II. Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, et de mundanae sapientiae loquacitate confidere. Cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini nostri Jesu Christi institutione cognoscat: qui omnes nationes ad illuminationem fidei vocaturus, non de philosophis, aut de oratoribus, qui praedicando Evangelio famularentur, elegit, sed de humilibus et piscatoribus; per quos se manifestaret, assumpsit: ne doctrina coelestis, quae erat plena virtutum, auxilio videretur indigere verborum. Unde Apostolus protestatur et dicit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare; non*

in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi: verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem, qui salvi fiunt, virtus Dei est; scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (1. Cor. 1, 17)? Argumenta enim rhetorica institutae ab hominibus versutiae disputandi in eo praecipue gloriantur, si in rebus incertis et opinionum varietate confusis, ad hoc audientium trahant sensum, quod asserendum ingenio atque eloquio suo quisque delegerit: et ita fit, ut quod majore facundia defenditur, verius aestimetur. Sed Christi Evangelium hac arte non indiget: in quo doctrina veritatis sua luce manifestata est; nec quaeritur, quid auribus placeat, ubi verae fidei sufficit scire, quis doceat.

Caput III. Hos autem, qui suis decipiuntur inventis, nihil magis ab evangelica luce dissociat, quam quod incarnationis dominicae veritatem non putant ad humanam, id est, nostram pertinere naturam, tamquam indignum fuerit gloria Dei, ut majestas Verbi impassibilis veritatem mortalis carnis as-

sumpserit, cum aliter salus hominum reparari non posset, nisi qui est in forma Dei, formam suscipere dignaretur et servi. Unde cum sancta synodus chalcedonensis, quae ab universis romani orbis provinciis cum totius mundi est celebrata consensu, et a sacratissimi concilii nicaeni est indivisa decretis, omnem eutychiani dogmatis impietatem a corpore catholicae communionis absciderit, quomodo erit cuiquam lapsorum ad ecclesiasticam pacem recursus, nisi perfecta fuerit satisfactione purgatus? Nam quae istis tribui potest licentia disserendi, qui justo sanctoque judicio meruere damnari: ut verissime illam sententiam beati Apostoli Joannis exciperent, qua inter ipsa nascentis Ecclesiae exordia inimicos crucis Christi perculit dicens: *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, sed hic est antichristi* (1. Joan. 4, 2). Qua sancti Spiritus percurrente doctrina pie nobis et constanter utendum est: ne, dum talium disceptatio admittitur, his, quae divinitus definita sunt[1]),

---

1) Hoc in loco sicut et alibi s. Leo synodo oecumenicae in definiendo vindicat infallibilitatem.

auctoritas derogetur; dum per omnes regni vestri partes, et in universis finibus terrae

---

Nam earum definitiones, ut judicia proponit, quae sine impietate retractari nequeant (cf. ep. 90. c. 2.; 162. c. 3. infra in annot. ad ep. hanc c. 5). Qua in re ipsi consentiunt alii pontifices et patres. Ita Simplicius ep. 4. al. 7. ad presbyteros et archimandritas CP. n. 1. de concilio chalcedonensi „quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium se pronunciat non haberi." Cf. etiam ep. 7. n. 5. Praeclare hac de re disputat Ferrandus diaconus carthag. ep. 6. n. 6, 7., ubi ita inter alia scribit: „Universalia concilia, praecipue illa, quibus ecclesiae romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam divinitus inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamvis minime valeat altitudinem coelestis oraculi comprehendere, sed pius lector et quod non intelligit credit, ut quod credit mereatur intelligere, sic omnino nec aliter concilia, quae vetustas firmavit et custodivit devota posteritas obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem . . . Quae autem finiuntur judicantibus episcopis sanctis et ad beati (supplendum omnino videtur *Petri*) memoriam perducta diligentius examinantur atque firmantur, sequenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent etc." Et iterum (n. 6.): „Apostolica sede consentiente, quidquid illa definivit synodus (chalcedonensis) accepit robur invictum." Ita etiam Theodorus Studita l. 2. ep. 129. ad Leonem sacellarium fatetur „patriarchae occidentali potestatem summam deferri synodi oecumenicae." Ejusmodi

ea, quae apud Chalcedonam confirmata est fides, fundatissima pace servetur; nec chri-

---

vero patrum sententiae horum conciliorum omnino supponit infallibilitatem, quae etiam facile hac ratione confirmatur. Dubitari nequit Ecclesiam docentem esse infallibilem: sed nunquam Ecclesia solemnius docet docendique exserit munus et auctoritatem, quam cum in synodum oecumenicam congregata quid credendum quidque respuendum sit fideles omnes editis decretis et canonibus plerumque sub anathematis poena expresse intentata docet. Ergo vel synodus oecumenica in definiendo est infallibilis vel nunquam Ecclesia docens dici poterit infallibilitatis praerogativa insignis, seu quod in idem recidit, si unquam ex verbis Christi: *Ecce ego vobiscum* (utique docentibus et pro me legatione fungentibus) *sum usque ad consummationem seculi* (Matth. 28, 20), merito infertur, conspirantem pastorum coetum sub tanta protectione in docendo errare non posse, id tum maxime verum erit, cum data opera pastores Ecclesiae congregantur, ut nomine et auctoritate Christi fideles doceant omnes, quid credendum sit. Hoc vero in synodo universali fieri solet. Sed quando synodus est universalis, ut in definiendo censeri possit infallibilis? Quesnellus huic cap. hanc affixit postillam: „Concilii oecumenici characteres duo: 1. ex omnibus provinciis; 2. totius orbis consensus.“ Sed praepostere si hisce Quesnellus significare voluit characteres proprios et necessarios. Licet enim s. Leo haec duo hic memoret, noluit characteres generali synodo necessarias proponere, sed tantum praerogativas concilii chalcedonensis, de quo modo maxime erat sollicitus, indicat, ut illud multo

stiano sit dignus nomine, qui se a consortio nostrae unitatis abrumpit. De quo Aposto-

---

magis irretractabile ostenderet. Non requiritur, ut *actu* adsint episcopi ex omnibus provinciis, alioquin vix ullum fuisset concilium oecumenicum, si ultimum i. e. *vaticanum* excipias, cum fere semper defuerint episcopi ex pluribus sive Orientis sive Occidentis provinciis. Non requiritur *consensus orbis*, ut neoprotestantes recentiores in op. Janus p. 454. docent, neque enim pastores ab ovibus, doctores a discipulis confirmandi sunt. Imo neque requiritur consensus reliquorum episcoporum, qui concilio non interfuere, sed unius romani pontificis exigitur consensus, ut ex gestis concilii chalcedonensis, de quibus multa habes in s. Leonis epistolis, luculenter patet. Qui ergo sunt concilii oecumenici characteres? Ut hos synoptice saltem indicemus dicimus 1. ex parte romani pontificis requiritur a) ut ab eodem vel saltem eo annuente convocetur. Si enim episcopi est synodum dioecesanam, metropolitae provincialem, primatis plenariam seu nationalem convocare synodum, ita ei, qui praeest capitis instar Ecclesiae universae, jure suo competet convocare synodum oecumenicam. Hinc Nicolaus I. ep. 88.: „Generale concilium sine apostolicae sedis praecepto nulli fas est vocandi.“ Hinc Marcianus imp. et Pulcheria Leoni scribunt (ep. 76, 77.), ut universalis cogatur synodus, sed ipso auctore σοῦ αὐθεντοῦντος. Romani quoque pontificis b) est vel in propria persona vel per suos legatos eidem praesidere, quod sicut sponte sua consequitur ex analogia cum synodis particularibus, quibus praesunt vel episcopus, vel metropolita, vel primas, ita ex ejusdem primatus prae-

lus dicit: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita*; *sciens*,

---

rogativa patet: sicut enim romani pontificis est universae Ecclesiae capitis instar praesidere: ita et ipsius erit Ecclesiae in concilium congregatae praeesse. Hinc cum Dioscorus ejectis s. Leonis legatis praesidendi jus in concilio ephesino sibi usurparet, reprehensus fuit a concilio chalcedonensi „quod synodum ausus sit facere citra sententiam throni apostolici, quod nunquam licuit, nunquam factum est (Hard. 2, 68).“ Praecipua tamen c) praerogativa est, quod ipsius sit confirmare conciliorum decreta, ut robur habeant invictum, ut supra dixit Ferrandus. Hujus praerogativae exstant praeclarissima argumenta in epistolis s. Leonis, Marciani imp. et Anatolii, quae de concilio chalcedonensi agunt, et in hujus concilii ad Leonem epistola, quarum praecipuas in nostra editione reperies (cf. 98, 100, 101, 106, seu in hoc t. 33, 36, 37, 42). Quaedam etiam adduximus in praef. t. 17. p. 18, 46. s. et ib. in annot. ad Julii ep. p. 178. Quibus adde, quae de synodo nicaena testatur concilium romanum a. 485. sub Felice II. in ep. ad presbyteros et archimandritas CP. et in Bithynia constitutos (inter ep. Felicis II. ed. Thiel. 11.) n. 4.: „Quam vocem (*Tu es Petrus* etc. Matth. 16, 18.) sequentes trecenti decem et octo sancti patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem sanctae romanae ecclesiae detulerunt.“ Gelasius de sedis apostolicae praerogativis disputans ep. 26. ad ep. Dardaniae et hanc addit n. 3.: „Quae (sedes apostolica) et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit *pro suo scil.*

quia hujusmodi perversus est, et proprio judicio sit damnatus (Tit. 3, 10).

---

principatu, quem b. Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet.« Cf. n. 5, 6, 10. Et tract. 4. n. 9.: „Quod firmavit in synodo (chalcedonensi) sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod praeter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum.« Hinc in refutatione pseudoconcilii a. 754. praelecta in conc. oecum. VII. act. 6. illud reprobatur, quia „adjutorem non habuit illius temporis romanum papam vel eos, qui circa ipsum sunt, sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum dictat lex conciliorum (Hardouin. coll. con. 4, 327).« Nicolaus vero I. Photio scribit: „Decretalia autem, quae a sanctis pontificibus primae sedis romanae ecclesiae sunt instituta, cujus auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis, nisi quia vestrae ordinationi contradicunt etc. (ib. 5, 814)?« Haec conditio tanti est momenti, ut supplere possit priores duas conditiones, si qua de causa omissa fuerint, adeo ut synodus a romano pontifice non convocata, et cui ipse non praefuerit sola ejus confirmatione possit reddi oecumenica, ut synodus constantinopolitana I. Ex parte membrorum 2. requiritur, ut convocentur episcopi et quidem de cunctis provinciis, ut ipse s. Leo ep. 89. exigit: „Ut evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus *vere* possit esse *universale* concilium.« Ipsi enim tantum jure proprio sedent in concilio tamquam judices:

Caput IV. Quod ergo in sanctae Ecclesiae pervasione, et in praesulis ipsius crudelissima caede impius parricida commisit, non potest humanis remissionibus expiari, nisi ille exoretur, qui talia et solus potest digne plectere, et solus ineffabili misericordia re-

---

nullum vero jus sedendi habent laici, imo nec sacerdotes secundi ordinis, quamvis nonnullis ex his summus pontifex locum et suffragium in concilio concedere possit. Hinc Gregorius XIII. concilio rotomagensi respondit: „Abbates commendatarios et capitulorum deputatos vocem dumtaxat consultativam habere: episcoporum procuratores posse, si concilio provinciali placuerit, et decisivum habere." Cf. et censuram Pii VI. in propos. 10· synodi pistoriensis. Ex parte numeri episcoporum 3. nil certi statui potest. Id tantum affirmare licet, tot requiri episcopos, ut de eorum synodo dici possit, eam repraesentare Ecclesiam: ad hoc autem, ut ex gestis conciliorum liquet, non requiritur a) ut quotquot sunt episcopi, omnes intersint, alioquin nunquam posset concilium congregari, unusque sufficeret ad illud impediendum: neque tamen b) sufficit numerus quilibet ut decem vel viginti episcoporum: sed tunc c) ratione numeri ex Ecclesiae consuetudine censeri potest concilium universale, si convocatio sit generalis, ita ut in praecipuis Ecclesiae partibus innotescat; ut nullus episcopus verus, qui jurisdictionem episcopalem habeat, excludatur; si ex remotioribus partibus saltem aliqui, ex vicinioribus vero plures adsint. Cf. Bellarminus de Conc. l. 1. c. 17.; Hefele Conciliengesch. Bd. 1. Einleitung.

laxare. Nos vero non ultionum sumus cupidi, sed ministris diaboli non possumus ulla ex parte sociari. Quos si a perversis discedere, ab errore resipiscere, et ab armis discordiae ad poenitentiae cognoscamus lamenta converti, possumus etiam nos pro illis, ne in aeternum pereant, supplicare: ut pietatis Domini utamur exemplo, qui pro persecutoribus suis ligno crucis affixus orabat, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt* (Luc. 23, 34). Quod ut fructuose pro inimicis suis caritas faciat christiana, relinquant impii semper religiosam, semperque devotam Ecclesiam Dei lacessere[1], neque simplicis populi animas haeretica audeant conturbare fallacia: ut ubi omnibus retro temporibus sincerissima fides floruit, nunc quoque evangelica et apostolica possit vigere doctrina. Quia et nos divinam misericordiam, in quantum valemus, imitantes, nullum justitia plecti, sed omnes cupimus misericordia liberari.

---

1) *Lacessere.* Hoc verbum supplent Ballerinii ex cod. ratisb. Intelliguntur autem eutychianorum ac Timothei Aeluri in locum Proterii in episcopum alexandrinum intrusi maledicta contra chalcedonensem synodum, contra Leonis epistolam et contra catholicos, quos veluti nestorianos traduxerant.

Caput V. Utatur, obsecro, Clementia tua praedictorum fratrum meorum suggestionibus, quos, sicut jamdudum in praemissa epistola sum locutus[1]), non disceptaturos cum damnatis, sed supplicaturos vobis pro catholicae tantum fidei stabilitate, direxi. Et praecipue illud Pietas vestra pro fide sua et divinae Majestatis contemplatione concedàt, ut haereticorum contentionibus prorsus amotis, misericordem curam his, qui infeliciter prolapsi sunt, dignetur impendere; et libertate alexandrinae ecclesiae in statum pristinum revocata, antistes illic chalcedonensis synodi statuta custodiens, et concordans evangelicis disciplinis, qui conturbatam plebem pacificare valeat, ordinetur. Hi etiam episcopi vel clerici, quos de ecclesiis suis depulit impius parricida, pietatis tuae praeceptione revocentur; ceteris quoque, quos

---

1) *In praemissa epistola* scil. 162. quam propter affinitatem argumenti non edidimus. In ea c. 3. inter alia dicit: „Praenoscat igitur Pietas tua, venerabilis imperator, hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra ullos a sede apostolica profecturos, quia de rebus et apud Nicaeam et apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum tamquam dubia vel infirma sint, quae tanta per Spiritum s. fixit auctoritas.“

similis malignitas habitationibus propriis fecit extorres, in statum pristinum restitutis; quatenus plene atque perfecte de gratia Dei et fidei vestrae merito sine ullo jam concertationum strepitu gaudeamus. Nam si quis ita christianae spei ac propriae salutis oblitus est, ut ad convulsionem sacratissimi concilii nicaeni, sanctae chalcedonensis synodi evangelicum apostolicumque decretum violare aliqua disputatione prăesumat, hunc cum omnibus haereticis, qui de incarnatione Domini nostri Jesu Christi, impia et detestanda senserunt, simili anathemate parique exsecratione damnamus: ut et legitima satisfactione correctis poenitentiae remedium non negetur, et in resultantes sententia synodalis, quae veritatis est plena, permaneat. Data decimo sexto Kalendas Septembris Leone et Majoriano Augustis Consulibus.

EPISTOLA XLVII.

Ad Leonem Augustum[1]).

SYNOPSIS.

1. Promissa prius scripta adversus eutychianum dogma se mittere indicat. 2. Nestorii et Eutychetis dogmata exponuntur, quorum hic Apollinarem, Valentinum et Manichaeum aemulatus est. 3. Nicaeno symbolo omnia haec haeresum monstra confodi. 4. Reconciliationem hominum ex incarnatione pendere, sine qua nec mediatoris, nec redemptoris officium Christus implet. 5. Solo Christi sacrificio vel reconciliatum Deo fuisse mundum, vel justificatos peccatores. 6. Utriusque in Christo naturae proprietates ex diversis ejus actionibus manifestari. 7. Veritatem carnis in Christo ex veritate mortis, sepulturae et resurrectionis comprobari. 8. Christi exaltationem nisi in vera hominis natura perfici non potuisse. 9. Sub specie Deitatis honorandae magna eam injuria affici, cum sub mendacio phantasmatis latuisse asseritur. 10. Ex ss. patrum traditione catholicam fidem inconcusse firmari, quam tueri imperatore imprimis di-

---

1) In edit. Baller. 165. al. 134. Scripta 17. Aug. 459. Promiserat s. Leo supra ep. 156. in nostra ed. 44. c. 6. se fusius in causa fidei scripturum esse: promissis modo stat et hunc pulcherrimam exaravit epistolam, quae post epistolam ad Fla-

gnum. 11. Testimonia ss. patrum tam graecorum, quam latinorum pro asserenda veritate carnis in Christo.

Leo episcopus Leoni Augusto.

Caput I. Promisisse me memini, venerabilis imperator, in causa fidei, de quâ Clemen-

---

vianum omnium est celeberrima, adeo ut cum illa diceretur tomus primus, haec tomus secundus appellaretur a Martino I. in concilio lateranensi. Et Simplicius papa ep. 2. ed. Thiel, al. 5. n. 2. ita de ea scribit: „Nota namque et omnibus illic potestatibus celebrata, quae sanctae memoriae praedecessor meus Leo ad consultationem augustae recordationis Leonis scripserit, et quam veneranter accepta sint recognoscant.“ Epistolae subjuncta leguntur ss. patrum testimonia. Haec s. Leo post pseudosynodum ephesinam primum collegerat ac in Orientem per legatos miserat, ut doctrinam suae ep. 28. ad Flavianum latinorum ac graecorum patrum doctrinae cohaerentem ostenderet. Quae autem tunc misit testimonia, licet a Leone fuerint scripta latine, graece tantum versa exstant in editionibus conciliorum et subjecta leguntur epistolae ad Flavianum chalcedonensis conc. act. 2. Eadem vero testimonia rursus huic epistolae subjecit sed aucta, eaque latine scripta inveniuntur in codicibus. Testimonia patrum graecorum ex illis versionibus desumta sunt, quae Leonis aetate prodierant. Cf. Ballerinios in admonitione praevia.

tiam tuam novi pie esse sollicitam, pleniorem humilitàtis meae dirigendum esse sermonem: quem nunc auxiliante Domino, fidèli occasione persolvo, ut sancto pietatis tuae studio utilis, quantum arbitror, deesse non possit instructio. Quămvis enim sciam Clementiam tuam humanis institutionibus non egere, et sincerissimam de abundantia Spiritus sancti hausisse doctrinam, officii tamen mei est, et patefacere quod intelligis, et praedicare quod credis: ut ignis ille, quem Dominus veniens misit in terram, motu crebrae meditationis agitatus, sic concalescat, ut ferveat; et sic inflammetur, ut luceat. Magnas enim caligines eutychiana haeresis Orientis partibus inferre molita est: et ab illa luce, quae, sicut Evangelium loquitur, *lucet in tenebris, et tenebrae eam non comprehenderunt* (Joan. 1, 5), imperitorum oculos tentavit avertere. Cumque ipsa in suam reciderit coecitatem, nunc in discipulis recrudescit, quod in auctore defecit.

Caput II. Non longo namque temporis intervallo catholica fides, quae est singularis et vera, cuique nihil addi, nihil minui potest, a duobus est hostibus appetita: quorum prior Nestorius, Eutyches secundus emersit, qui Ecclesiae Dei duas haereses

sibimet contrarias inferre voluerunt: ut uterque a praedicatoribus veritatis merito damnaretur, quia insanum nimis et sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt. Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis[1]), faceret aliam Deitatis: nec unum Christum in Verbo Dei et carne sentiret, sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis praedicaret: cum manente illa incommutabili Verbi essentia, quae ei cum Patre et cum Spiritu sancto intemporalis atque coaeterna est, ita intra virginea viscera Verbum caro sit factum, ut per ineffabile sacramentum uno conceptu unoque partu, secundum veritatem utriusque naturae eadem virgo et ancilla Domini esset et mater. Quod etiam Elizabeth, sicut Lucas evangelista declarat, intellexit et dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat ad me mater Domini mei* (Luc. 1, 43)? Eutyches quoque eodem percellatur anathe-

---

1) *Carnis* i. e. naturae humanae assumptae, proinde aliam Christi hominis, aliam Dei Verbi faceret personam. Ceterum eadem paucis exceptis usque ad c. 9. habentur supra ep. 124. in nostra ed. 41. cc. 2—8. Cf. proinde etiam ib. quasdam annotationes.

mate, qui per impios veterum haereticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit: ut negata humănae carnis atque animae veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius assereret esse naturae, tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit; et concipi ac nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, et ascendere in coelum, et in Patris dextera, unde ad judicandos vivos et mortuos veniet, consedere, divinae tantum essentiae fuerit, quae nihil horum in se sine carnis recipit veritate: quoniam natura Unigeniti natura est Patris, natura est Spiritus sancti, simulque impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternae Trinitatis indivisa unitas et consubstantialis aequalitas. Unde si ab Apollinaris perversitate eutychianus quisque desciscit, ne convincatur Deitatem passibilem sentire atque mortalem, et tamen Verbi incarnati, id est, Verbi et carnis unam audet pronunciare naturam, manifeste in Valentini et Manichaei transit insaniam, et mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum simulatorie credit omnia egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium.

Caput III. Quae impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, et talium assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum dudum sunt damnata sententiis, non dubium est, eam nos fidem praedicare atque defendere, quam sancta synodus nicaena confirmavit, dicens:

„Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, (omnium) visibilium et invisibilium factorem, et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiae cum Patre (quod graeci dicunt *ὁμοούσιον*) per quem omnia facta sunt, sive quae in coelo, sive quae in terra. Qui propter nos et nostram salutem descendit, incarnatus est, et homo factus, passus est, et resurrexit tertia die: ascendit in coelos, venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum.“

In qua professione hoc evidentissime continetur, quod etiam nos de Domini incarnatione confitemur et credimus, qui ad salutem humani generis reformandam veram càrnem nostrae fragilitatis non de coelo se-

cum detulit, sed in utero virginis matris assumpsit.

Caput IV. Quicunque ergo illi sunt ita obcoecati, et a lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei a tempore incarnationis humanae carnis denegent veritatem, ostendant, in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, si b. virginis partu aut caro sine Deitate, aut Deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest, evangelista dicente, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14): ita negari non potest, beato Paulo apostolo praedicante, quod *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (2. Cor. 5, 19). Quae autem reconciliatio esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominumque susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei aequalis est Patri, in forma servi particeps esset et nostri: ut mortis vinculum, unius praevaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim pro injustis sanguinis (justi) Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula reti-

nerent; quoniam sicut Apostolus ait: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (Rom. 5, 20). Et cum sub peccati praejudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis.

Caput V. Quam itaque sibi in hujus sacramenti praesidio spem relinquunt, qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant, quo sacrificio reconciliati: dicant quo sanguine sint redempti? *Quis est*, ut ait Apostolus, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Eph. 5, 2)? Aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus et aeternus pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit? Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, redemptio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiae, non dona justitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt; nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus Christus, qui vere erat agnus immaculatus, exstiterit, in quo om-

nes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me* (Joan. 12, 32). Fides etenim vera justificans impios, et creans justos, ad humanitatis suae tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem: liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostrae humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

Caput VI. Licet ergo in uno Domino Jesu Christo, vero Dei atque hominis Filio, Verbi et carnis una persona sit, quae inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones, intelligendae tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sincerae fidei contemplatione cernendum est, ad quae provehatur humilitas carnis, et ad quae inclinetur altitudo Deitatis. Quid sit, quod caro sine Verbo non agit, et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia, nec conciperet virgo, nec pareret: et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum, stella indice declāratum; et

sine veritate carnis non juberetur in Aegyptum transferri puer, et ab Herodis persecutione subduci. Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de coelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. 3, 17), et sine veritate carnis non protestaretur Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. 1, 29). Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium et vivificatio mortuorum, et sine veritate carnis, nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentià non se Dominus Patri profiteretur aequalem; et sine veritate carnis non idem diceret Patrem se esse majorem: cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quae secundum confessionem beati apostoli Petri, unum Christum Dei vivi Filium et hominem credit et Verbum. Quamvis itaque ab illo initio, quo in utero virginis *Verbum caro factum est*, nihil unquam inter utramque formam divisionis exstiterit, et per omnià incrementa corporea unius personae fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen, quae inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus, sed quid cujus formae sit, ex operum qualitate sentimus. (Nec divina enim

humanis praejudicant, nec humana divinis: cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur).

Caput VII. Dicant ergo illi hypocritae, qui coecis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno Dominus majestatis Christus affixus sit, quid jacuerit in sepulchro, et revoluto monumenti lapide, quae tertio die caro resurrexerit, et in qua post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat, et haesitationem cunctantium confutabat, dum diceret: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (Luc. ult. 39); et apostolo Thomae: *Infer manum tuam in latus meum, et vide manus meas et pedes; et noli esse incredulus, sed fidelis* (Joan. 20, 27). Qua utique manifestatione corporis sui jam haereticorum mendacia destruebat: ut universa Ecclesia Christi imbuenda doctrinis, hoc sibi non dubitaret credendum, quod apostoli susceperant praedicandum. At si in tanta luce veritatis tenebras suas haeretica obduratio non relinquit, ostendant, unde sibi spem vitae polliceantur aeternae, ad quam nisi per Mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum

Christum, non potest perveniri. Sicut enim ait beatus Petrus apostolus: *Non est aliud nomen datum hominibus sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. 4, 12): nec est redemptio captivitatis humanae, nisi in sanguine ejus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1. Tim. 2, 6), et qui, sicut praedicat beatus Apostolus Paulus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (1. Tim. 2, 6).

Caput VIII. Cum ergo unus sit Dominus Jesus Christus, et verae Deitatis veraeque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, exaltationem tamen, qua illum, sicut doctor gentium dicit, exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere

formam, quae ditanda erat tantae glorificationis augmento. In forma quippe Dei aequalis erat Filius Patri, et inter genitorem atque unigenitum nulla in essentia erat discretio, nulla in majestate diversitas, nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnae pietatis implevit, humana humilitas est, quae in gloriam divinae potestatis evecta est, in tantam unitatem ab ipso conceptu virginis Deitate et humanitate conserta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate aequalis est Deo, dicitur exaltatus: quia inseparabiliter, manente unitate personae, unus atque idem est, et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem. Quicquid ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui quae non habuit, conferrentur. Nam secundum potentiam Deitatis indifferenter omnia, quae habet Pater, etiam Filius habet: et quae in forma servi a Patre àccepit, eadem in forma Dei etiam ipse donavit. Secundum formam enim Dei, ipse et

Păter unum sunt: secundum formam autem servi, *non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum* (Joan. 6, 38). Secundum formam Dei, *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (Ibid. 5, 26). Secundum formam servi: *Tristis est anima ejus usque ad mortem* (Matth. 26, 38). Et idem ipse est, sicut Apostolus praedicat, et dives et pauper Dives, quia Evangelista dicente: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 1). Pauper vero, quia propter nos *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Ibid. 14). Quae autem est ejus exinanitio, quaeve paupertas, nisi formae servilis acceptio? per quam verbi majestate velata, dispensatio humanae redemptionis impleta est.

Caput IX. Nam quia captivitatis nostrae resolvi originalia vincula non poterant, nisi exsisteret homo nostri generis nostraeque naturae, quem peccati praejudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret; sicut ab initio erat divinitus praeordinatum, ita est in ple-

nitudine praefiniti temporis factum; ut multis modis significata promissio in diu exspectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguum, quod continuis testificationibus semper fuerat nunciatum. In magno autem sacrilegio se versari haereticorum manifestat impietas, cum sub specie Deitatis honorandae, humanae carnis in Christo denegant veritatem; et religiose existimant credi, si dicatur in Salvatore nostro, verum non esse, quod salvat, cum ita secundum promissionem omnia secula percurrentem mundus sit Deo reconciliatus in Christo, ut nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro salvari. Omne enim sacramentum fidei christianae magno (ut haeretici volunt) decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis. Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet christianus de nostri in Christo corporis veritate: quia omnes apostoli apostolorumque discipuli, et praeclari ecclesiarum quique doctores, qui ad martyrii coronam, vel ad confessionis meruerunt gloriam pervenire, in hujus fidei lumine splenduerunt, consonis ubique sententiis intonantes, quod in Domino Jesu Christo Deitatis et carnis una sit confitenda

persona. Qua autem rationis similitudine, qua divinorum voluminum portione, haeretica impietas se existimat adjuvari, quae veritatem negat corporis Christi: cum hanc non lex testificari, non prophetia praecinere, non evangelia docere, non ipse destiterit Christus ostendere? Quaerant per omnem seriem Scripturarum, quo tenebras suas fugiant, non quo verum lumen obscurent: et per omnia secula ita veritatem invenient coruscantem, ut magnum hoc et mirabile sacramentum ab initio videant creditum, quod est in fine completum. De quo cum sanctarum literarum nulla pars sileat, sufficit quaedam consona veritatis signa posuisse, quibus diligentia fidei in splendidissimam latitudinem dirigatur, et sincera intelligentiae luce perspiciat, quod in Filio Dei, qui se incessabiliter filium hominis et hominem profitetur, non sit christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum.

Caput X. Ut autem Pietas tua cum venerabilium patrum praedicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subjiciendas esse sermoni. Quibus si dignaveris attendere recensitis, non aliud nos praedicare reperies, quam quod sancti patres nostri toto orbe docuerunt:

nec quemquam ab illis, nisi solos impios haereticos, discrepare. His igitur, gloriosissime et venerabilis Imperator, quanta potui brevitate perstrictis, cum inspirata tibi divinitus fide etiam nostram praedicationem unitam esse cognosces; nec in aliquo nos ab evangelica apostolicaque doctrina, vel a catholicae professionis symbolo discrepare: quoniam sicut docet beatus apostolus Paulus: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (1. Tim. 3, 16). Quid igitur tuae utilius est saluti? quid tuae congruentius potestati? quam ut paci ecclesiarum Domini tua constitutione prospicias, et in omnibus tibi subditis Dei dona defendas; neque ulla ratione patiaris per invidiam diaboli ministros ipsius in cujusquam saevire perniciem: ut qui in hoc seculo temporali emines regno, in aeternum merearis regnare cum Christo. Data decimo sexto Kalendas Septembris Leone et Majoriano Augustis Coss.

De hinc sequuntur testimonia excerpta pro re supra scripta de libris catholicorum patrum, a Leone papa collecta, et Leoni imperatori directa.

Sancti Hilarii pictaviensis episcopi et confessoris, in libro secundo de fide inter cetera (n. 23. ss.):

Caput XI. Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una haec felix fidei petra, Petri ore confessa[1]): *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi* (Matth. 16, 16), tanta in se argumenta sustinens veritatis, quantae perversitatum quaestiones et infidelitatis calumniae movebuntur. Jam in ceteris dispensatio voluntatis paternae est[2]). Virgo, partus et corpus, postque crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa Dei Filius natus ex virgine et Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, et sua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, et exordia carnis

1) *Confessa*, hic passive accipiendum est.

2) *Dispensatio voluntatis paternae est*, cetera, ut nativitas ex virgine, assumptio carnis etc. Deo sic ordinante, volente, facta sunt.

instituit: ut homo factus ex virgine, naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret: ut quemadmodum omnes in se per id, quod corporeum se esse voluit, conderentur, ita rursum in omnes ipse per id, quod ejus est invisibile, referretur[1]). Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit, et per conceptionem, partum, vagitum et cunas, omnes naturae nostrae contumelias transcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantae dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus unigenitus Deus, in corpusculi humani formam sanctae virginis utero insertus, accrescit. Qui omnia continet, et intra quem et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur; et ad cujus vocem archangeli atque angeli tremunt, coelum et terra et omnia hujus

1) *Referretur.* Ut quemadmodum per illam et in illa natura, quam ex Maria V. assumpsit, omnes ipsi inserti sunt, quibus secundum illam naturam est consubstantialis, ita rursus ipse secundum alteram naturam, secundum naturam divinam, specialem induit relationem ad universum genus humanum, cujus veluti primitias in illa singulari natura humana sibi devinxit.

mundi resolventur elementa, vagitu infantiae auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, nunc visu, sensu tactuque mortalium cunis est obvolutus. Haec si quis indigna Deo recolit: tanto se majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus haec Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus, ut Deus caro fieret, et habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius interna universae carnis incoleret. Humilitas ejus, nostra nobilitas est: contumelia ejus, noster honor est. Quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deo ex carne renovati[1]).

Item ejusdem in libro nono, inter cetera (n. 3):

Nescit plane, vitam suam nescit, qui Christum Jesum ut verum Deum, ita et verum hominem ignorat: et ejusdem periculi res est, Christum Jesum, vel spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. *Om-*

---

1) Sermo est de nostra per Christum ex susceptione carnis reparatione et veluti quadam in Deum commigratione secundum ea, quae diximus annotatione praecedenti.

nis ergo, inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in coelis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in coelis* (Matth. 10, 32). Haec Verbum caro factum loquebatur, et homo Jesus Christus Dominus majestatis docebat: mediator ipse in se ad salutem Ecclesiae constitutus, et ipso illo inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturae utriusque res eadem est[1]): ita tâmen, ut neutro careret in utroque: ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursus Deus manendo non esset. Haec itaque humanae beatitudinis fides vera est, Deum et hominem praedicare. Verbum et carnem confiteri; neque Deum nescire, quod homo sit; neque carnem ignorare, quod Verbum sit.

---

1) *Naturae utriusque res eadem est*, scil. Deus simul et homo est, et ita quidem, ut nec cesset esse Deus, licet factus sit homo: nec cesset esse homo, quamvis sit Deus. Mox *humanae beatitudinis* scil. ad beatitudinem, quae hominibus destinata est, consequendam: vel ut homines beati praedicari possint ut Petrus, qui beatus dictus est (Matth. 16, 17), quod Christum hominem profiteretur Filium Dei vivi.

Item ejusdem in eodem libro inter cetera (n. 5):

Natus igitur unigenitus Deus ex virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem [1]), hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, et hominis filium praedicari admoneret, locutus et gerens homo universa, quae Dei sunt, loquens deinde et gerens Deus universa, quae hominis sunt: ita tamen ut in ipso illo utriusque generis sermone nunquam nisi cum significatione et hominis locutus et Dei sit.

Item alio loco in eodem libro, inter cetera (n. 5. ss.):

Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes haereticis occasio est, ut quae ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturae divinae infirmitatem mentiantur: et quia unus atque idem est loquens

1) *Provecturus in Deum hominem* i. e. provecturus hominem in Deum unione hypostatica, propter quam hic homo dici potest Deus.

omnia quae loquebatur, de se ipso omnia eum locutum esse contendant[1]). Nec sane negamus, totum illum qui ejus manet, naturae suae esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo et Deus est, et neque cum homo, tum primum Deus, neque cum homo, tum non etiam et Deus, neque post hominem[2]) in Deo non totus homo totus Deus,

---

1) *De se ipso.* Licet Hilarius in Christo Deum hominemque arctissime in unam personam conjunctum credat, sic tamen hominem spectat velut ab ipso alienum, ut arguat haereticos, quod quae de homine assumpto loquatur, de se ipso h. e. de ipsa divinitate sua locutum eum esse velint. Quo loquendi modo Ambrosius l. 10. in Luc. n. 61. ait: *Tristis autem est, non ipse, sed anima.* — *Qui ejus manet* i. e. qui ejus est, seu quem nomine suo profert. Deinde *naturae* vocabulo potest intelligi *persona:* quomodo *personae* nomine non semel utitur Hilarius ad significandam naturam. Vel hoc ita intelligendum est, totum illum sermonem esse naturae, quae Christo propria ac sua est. Illi autem propria est non solum ea, quam nascendo accepit, sed quam in tempore sumpsit. Constantius.

1) *Neque post hominem*, i. e. post hominem glorificatum. In Christo distinguendum tempus, quo nondum susceperat hominem (humanam naturam), quo suscepit moriturum, quo non jam moriturum. In primo statu tantum Deus est, in altero Deus et homo, in postremo totus Deus sensu mox explicando. — *Necesse est.* Hic admonetur, Christi dicta diver-

unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis. Et cum in eo secundum tempus discernis hominem a Deo, Dei tum atque hominis discerne sermonem[1]. Et cum Deum atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta dijudica. Cum vero ex homine et Deo, rursum totius hominis, totius jam Dei tempus intelligis. Si quid illud ad demonstrationem ejus temporis dictum est, tempori coaptato, quae dicta sunt, ut cum aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo et Deus, ăliud sit post hominem et Deum totus homo et totus Deus[2]: non confundas

---

sis illius naturis sub triplici statu spectatis debere esse consentanea. Coustantius.

1) Hilarii mentem, si bene capimus, hoc sibi vult: Cum secundum tempus, quod Christi corporationem praecessit, Deum Filium spectas ut ab homine discretum eique nondum conjunctum, ne tum sermonem ei attribuas, qui congruat homini, seu ei tum, cum Deus sit, sermonem tribue discretum ac differentem ab eo, quem tribueres homini. Vel etiam hic notatur status, quando Deus unigenitus in specie assumpta ad tempus homo visus est: et monemur, ut quae speciei assumptae, quae assumenti sint tribuenda discernamus. Coustantius.

2) In ed. Coustantii particula *et* non legitur. — Cum ex statu Christi mortali, in quo Deus et

temporibus et generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generum ac naturarum alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium jam aeterno. Nostri igitur causa haec omnia Jesus Christus manens, et corporis nostri[1]) homo natus, secundum consuetudinem naturae nostrae locutus est: non tamen omittens naturae suae esse, quod Deus est: Nam tametsi in partu, et passione, et morte naturae nostrae res peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturae suae gessit: *et reliqua.*

---

homo erat, illum transiisse intelligis ad immortalem, in quo jam etiam secundum hominem totum totus est Deus, quia videlicet, uti declaratur infra n. 13., ›totus Deo vivit, naturae nostrae societate in communionem divinae immortalitatis unita.‹ Qui loquendi modus expressus ad imitationem verborum Pauli *ut sit Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15, 28), omnino intelligendus est salva hominis veritate, ut saepe jam demonstratum. Coustantius.

1) *Corporis nostri homo*, homo nobis consubstantialis, habens corpus quale nos. *Non tamen omittens naturae suae esse, quod Deus*, licet homo fuerit, non omisit argumenta exhibere suae divinitatis, divinitatem suam manifestare et se ut Deum decet gerere, nam vel in partu et in passione divinitatem suam manifestavit, divinitate volente eam sustinuit atque salutiferam reddidit.

Item alio loco in eodem libro, inter cetera (n. 11):

Videsne ita Deum et hominem praedicari, ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur? (Non tamen ut alius sit, qui mortuus est, et alius sit, per quem mortuus resurgit. Spoliata enim caro[1]) Christus est mortuus, et rursum Christum a mortuis excitans, idem Christus est carne se exspolians). Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse, qui utrumque est.

Item post pauca (n. 14):

Haec igitur demonstranda a me paucis fuerunt, ut utriusque naturae formam tractari in Domino Jesu Christo meminissemus: quia qui erat in forma Dei, formam servi accepit[2]).

---

1) Plures editiones habent *carne*, sed male. Nostra lectio reperitur etiam in ep. Agathonis ad Augustos imp. Uncinis inclusa desunt in quibusdam codicibus et etiam in versione graeca act. 2. chalcedonensis.

2) In aliis editionibus leguntur plura, scil. „quia

S. Athanasii alexandrini ecclesiae episcopi et confessoris ad Epictetum corinthiorum episcopum.

Caput XII. Quomodo autem vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur christiani, si Dominus, qui et ex Maria processit, Filius quidem substantia et natura Dei est; quod autem secundum carnem, ex semine David est et carne sanctae Mariae?

S. Ambrosii episcopi ecclesiae mediolanensis et confessoris, ex libris, quos misit ad Imperatorem Gratianum: In libro secundo de fide, inter cetera (c. 7. n. 58.):

Caput XIII. Unde illud quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus: sed quia idem Deus, idem homo, per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Christus Jesus Dominus majestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturae,

---

qui in forma Dei manens, formam servi accepit, ipse divinitatem nequaquam amisit.“ Sed haec non leguntur apud s. Hilarium atque etiam desunt in melioribus codd.

id est, humanae atque divinae, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete et Dominus majestatis dicatur esse, qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est: *Qui descendit de coelo* (Joan. 3, 13).

Item alio loco in eodem libro, inter cetera (c. 9. n. 77):

Sileant igitur inanes de sermonibus quaestiones, quia *regnum Dei*, sicut scriptum est, *non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis* (1. Cor. 2, 4): servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quae sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dicit, quae sunt humana, quia in mea[1] substantia loquitur.

Item ejusdem in libro de Incarnatione Domini contra apollinaristas (c. 6. n. 49):

Sed dum hos redarguimus, emergunt alii,

---

1) *In mea.* Ballerinii *in ea.*

qui carnem Domini dicant et divinitatem unius esse naturae. Quae tantum sacrilegum inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt ariani, quorum per istos perfidiae robur adolescit, ut majore contentione asserant Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unius non esse substantiae, quia isti divinitatem Domini et carnem substantiae unius dicere tentaverunt.

Item infra (c. 6. n. 52):

Et hi mihi frequenter nicaeni concilii tractatum se tenere commemorant. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed Dei Verbum unius substantiae cum Patre esse dixerunt. Et Verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur nicaeni concilii nomen obtenditur, et nova inducuntur, quae nunquam nostri sensere majores? *et reliqua.*

Item ejusdem ad Sabinum episcopum inter cetera (ep. 46. n. 6, 7.):

Unde pulchre Apostolus ejusdem verbi repetitione usus est, dicens de Domino Jesu

Christo: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (Philip. 2, 6). Quid est in forma Dei, nisi in plenitudine Deitatis, in illa perfectionis divinae expressione? Ergo cum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, et accepit plenitudinem naturae et perfectionis humanae. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. Unde et David dicit: *Speciosus forma prae filiis hominum* (Psal. 44, 3). Concluditur ăpollinarista, nec quo se vertat, habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixit, formam servi accepit, non servus locutus est. Iterum ergo interrogo: Quid est *in forma Dei?* Respondit, in natura Dei. Sunt enim, ait Apostolus, *qui non sunt natura dii* (Galat. 4, 8). Quaero, quid sit, *formam servi accipiens?* Sine dubio perfectionem naturae et conditionis, ut dixi, humanae, ut esset in hominùm similitudine. Et pulchre, non *carnis*, sed *hominum* dixit *similitudinem*, quia in carne eadem est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur: Unde et propheta ait: *Et homo est, et quis cognoscit eum* (Jer. 17, 9)? Homo se-

cundum carnem, sed ultra hominem secundum divinam operationem. Denique cum leprosum tangeret, homo videbatur: sed ultra hominem, cum mundaret. Et cum Lazarum mortuum fleret, mortuum quasi homo flebat, sed supra hominem erat, cum mortuum vinctis juberet pedibus exire. Homo videbatur, cum penderet in cruce: sed supra hominem, cum reseratis tumulis mortuos suscitaret.

S. Augustini episcopi hipponensis ecclesiae ad Dardanum, inter cetera (ep. 187. n. 10.):

Caput XIV. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum, unde venturus est; memoriterque recole, et fideliter tene christianam confessionem: quoniam *resurrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris:* nec aliunde quam inde venturus est ad vivos et mortuos judicandos: et *sic venturus est*, illa angelica voce testante, *quemadmodum est ire visus in coelum* (Act. 1, 11), id est, in eadem forma carnis atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit.

Item in ejusdem epistola ad Volusianum, inter cetera (ep. 137. n. 9.):

Nunc vero ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.

Item ejusdem in expositionem Evangelii secundum Joannem, inter cetera (tr. 78. n. 2):

Quid igitur haeretice? Cum Christus Deus sit et homo, loquitur ut homo, et calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam?

Et iterum infra (n. 3):

Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua aequalis est Patri; humanam, qua major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus: ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis et caro, sic unus est Christus, Deus et homo: ac per hoc Christus est Deus, anima ratio-

nalis et caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis, quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulchro? Christus Jesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus. Verum haec omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem* (Joan. 14, 28). Quoniam naturae humanae gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in coelo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris.

Item ejusdem ex libro assertionis fidei[1]).

Nostrum namque est credere, illius nosse; ac sic ut ipse Deus Verbum, totum suscipiens

---

1) *Ex libro assertionis fidei* i. e. ex Leporii libello fidei, qui haud immerito ab ipso Augustino exaratus creditur.

quod est hominis, homo sit; et assumptus homo totum accipiendo quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Non tamen quia incarnatus dicitur et immixtus, imminutio ejus est accipienda substantiae. Novit enim Deus sine sui corruptione misceri, et tamen in veritate misceri. Novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti; qui se ipse totum novit infundere, ut nihil ei accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostrae secundum experimentorum visibilia documenta facientes conjecturam de aequalibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, et tali confusione carnis et Verbi, quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodammodo genere duas naturas in unam redactas arbitremur esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est. Deus enim, qui capax est, non capabilis, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui ubique simul totus, et ubique diffusus est per infusionem potentiae suae, misericorditer naturae est mixtus humanae, non humana natura est mixta divinae.

S. Joannis constantinopolitani episcopi confessoris in homilia de cruce et latrone (hom. 1. n. 4):

Caput XV. Sed cur cum cruce veniat, videamus. Scilicet ut hi, qui eum crucifixerunt, suae sentiant dementiae coecitatem: et ideo impudentiae eorum signum portatur. Ideo Propheta ait: *Tunc lamentabuntur omnes tribus terrae* (Zachar. 12, 10), videntes accusatorem et agnoscentes peccatum. Et quid mirum est, si crucem portans adveniet, quando et vulnera corporis ipse demonstrat? *Tunc enim*, inquit, *videbunt, quem confixerunt*. Et sicut post resurrectionem Thomae voluit diffidentiam confutare, et illi clavorum loca demonstravit, et lateris vulnera declaravit, et dixit: *Mitte manum tuam et vide* (Joan. 20, 27). *quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me vides habere* (Luc. 24, 39): Sic et tunc ostendet vulnera crucemque demonstrabit: ut ostendat illum se esse, qui fuerat crucifixus.

Item ejusdem in homilia de ascensione Domini.

Nam sicut duobus jurgio separatis, unus

in medio positus altercantium litem discordiamque dissolvit: ita et Christus fecit. Deus nobis juste irascebatur, et nos contemnebamus iratum, et clementem Dominum declinabamus: et se medium Christus ingessit, et sociavit utramque naturam, et nobis quod imminebat (a Patre) supplicium, ipse sustinuit.

Item ejusdem in eadem homilia, inter cetera.

Christus igitur nostrae naturae primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur, nulla macula foedabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suae sedis fecit esse participem, et quod plus est, ad partem suae dexterae collocavit. Cognoscamus quis est ille, qui audivit: *Sede ad dexteram meam* (Ps. 109): quae natura est, cui dixit: Esto meae particeps sedis. Illa natura est, quae audivit: *Terra es et in terram ibis* (Gen. 3, 19).

Item ejusdem in eadem homilia, inter cetera.

Quo sermone utar, quo verbo dicam, re-

perire non possum. Natura fragilis, natura contempta et omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superavit, et omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie angeli diu vota desiderata receperunt: hodie archangeli, quod multo tempore cupiebant, inspicere valuerunt: Naturam nostram in sede dominica immortali fulgentem gloria perviderunt.

Theophili episcopi alexandrini, de epistola paschali, quam per Aegyptum destinavit (inter ep. s. Hieronymi 98. n. 4):

Caput XVI. Cujus rei testis est ille, qui loquitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (Ps. 13, 3). Et prophetae Christi auxilium deprecantes: *Domine, inclina coelos tuos et descende* (Ps. 143, 5). Non ut mutaret locum, in quo omnia sunt, sed ut propter salutem nostram carnem humanae fragilitatis assumeret. Paulo apostolo eadem concinente: *Cum esset dives, pauper factus est, ut nos illius paupertate divites essemus* (2. Cor. 8, 9). Venitque in terras et de virginali utero, quem sanctificavit, egressus homo, interpretationem nominis sui Emmanuel, id est, nobiscum Deus (Matth.

1, 25), dispensatione confirmans, mirum in modum coepit esse quod nos sumus, et non desiit esse, quod erat: sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse, non perderet. Quamquam enim Joannes scribat: *Verbum caro factum est* (Joan. 1, 14): id est aliis verbis, homo; Verbum tamen non est versum in carnem, quia nunquam Deus esse cessavit. Ad quem et Spiritus sanctus loquitur: *Tu autem idem ipse es* (Ps. 101, 28): Et Pater de coelo contestatur et dicit: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. 3, 17); ut et homo factus, nostra confessione permanere dicatur (id) quod fuit priusquam homo fieret, Paulo nobiscum eadem praedicante: Jesus Christus *heri et hodie, ipse et in aeternum* (Hebr. 13, 8). In eo enim quod ait *ipse*, ostendit eum pristinam non mutasse naturam, nec divinitatis suae imminuisse divitias, quia propter nos pauper effectus, plenam similitudinem nostrae conditionis assumpserat.

Item ejusdem in alia epistola paschali contra Origenem, inter cetera (inter ep. s. Hier. 96. n. 3).

Unus Filius Patris nostrique mediator,

nec aequalitatem ejus amisit, nec a nostro consortio separatus est. Invisibilis Deus et visibilis homo, forma servi absconditus, et Dominus gloriae confessione credentium comprobatus. Neque enim privavit eum Pater naturae suae nomine, postquam pro nobis homo et pauper effectus est, nec in Jordane fluvio baptizatum altero appellavit vocabulo, sed Filium unigenitum: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. 3, 17). Nec similitudo nostra in divinitatis est mutata naturam, nec divinitas in nostrãe naturae versa est similitudinem.

S. Gregorii episcopi nazianzeni in homilia de Epiphania inter cetera (or. 38. n. 13):

Caput XVII. Cum ergo processisset ex virgine Deus, in ea, quam assumpserat, humana natura, unum e duobus sibi invicem contrariis exsistens, carne et spiritu, aliud in Deum assumitur; aliud Deitatis gratia praestat[1]).

---

1) *Aliud Deitatis gratia praestat.* Graece: ὧν τὸ μὲν ἐθέωσε, τὸ δὲ ἐθεώθη, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est.

Item infra:

Missus est quidem, sed ut homo; duplex enim erat in eo natura. Inde denique et laboravit ex itinere, inde et esuriit, et sitivit, et contristatus est, et flevit humani corporis lege.

S. Basilii episcopi cappadocis.

Cap. XVIII. Cum ergo quaedam in Christo ita videmus humana, ut nihil a communi mortalium fragilitate distare videantur; quaedam ita divina, quae nulli alii, nisi illi ineffabili naturae conveniant Deitatis: haeret humani intellectus angustia et tantae admirationis stupore perculsa, quo declinet, quid teneat, quo se convertat, ignorat. Si hominem putet, devicto mortis regno cum spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter quod cum omni metu et reverentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturae veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum et indecens de divina illa et ineffabili substantia sentiatur: neque rursum quae humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus aestimentur.

S. Cyrilli episcopi alexandrini (l. 2. de recta fide ad reginas c. 9):

Caput XIX. Homo nominatus est, cum sit natura Deus Dei Patris Verbum, quoniam similiter, ut nos, sanguini communicavit et carni. Sic enim in terris apparuit, non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam.

Item ejusdem in libro, qui dicitur: Scholia de Incarnatione Unigeniti.

Unus igitur est, et ante incarnationem Deus verus, et qui in humanitate mansit, in qua erat, est et erit. Non discernendum igitur unum Dominum Jesum Christum in hominem seorsum, et seorsum in Deum, sed unum eundemque Jesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentias naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes.

Item cujus supra.

Intelligitur namque certe aliud in alio inhabitare, id est, divinam naturam in humanitate non perpessam commixtionem aut commutationem, ut esset quod non erat.

Quicquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale, quale est id, in quo habitat, sed aliud in alio magis intelligitur. At vero in Verbi natura et humanitatis, nobis solam differentiam designat diversitas naturarum. Unus enim ex utraque intelligitur Christus. Ergo inconfusione, ut ante dixi, servata, inhabitasse ait Verbum in nobis. Scit enim unum esse Filium unigenitum, carnem factum et hominem.

Item cujus supra ad Nestorium.

Ait igitur sancta et magna synodus[1]) ipsum, qui est ex Deo Patre natus naturaliter, Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem et cum quo omnia fecerit Pater, hunc descendisse, incarnatum esse, et hominem factum, passum esse, resurrexisse tertia die, et ascendisse rursus in coelos. Haec nos sequi verba debemus; his nos convenit obtemperare dogmatibus: considerantes, quid sit incarnatum esse et hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura conversa vel immutata, facta sit caro; nec quod in totum

1) *Magna synodus*, nicaena scil.

hominem, qui est ex anima et corpore, transformata sit; sed illud magis, quod carnem animatam animâ rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter et incomprehensibiliter et ineffabiliter factus sit homo, et nuncupatus sit etiam filius hominis non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personae, sed quod diversae quidem naturae in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus et Filius, non evacuata âut sublata diversitate naturarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum et Christum et Filium, id est, divinitas et humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem. Itaque is, qui ante secula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus (in tempore). Non quia divina ipsius natura de sacra Virgine sumpsit exordium, nec quod propter seipsam opus habuit secundo nasci post illam nativitatem, quam habebat ex Patre (est enim ineptum et stultum hoc dicere, quod is, qui ante omnia secula est consempiternus Patri, secundae generationis eguerit, ut esse inciperet), sed quia propter nos et propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam, et processit ex muliere, idcirco dicitur natus esse carnaliter.

Neque enim prius natus est homo communis de sancta Virgine, et tunc demum habitavit in eo Verbum; sed in ipsa vulva uteroque virginali se cum carne conjunxit, et sustinuit generationem carnalem; carnis suae nativitatem faciens suam. Sic illum dicimus et passum esse et resurrexisse, non quia Deus Verbum in suâ natura passus sit, aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera (Deus namque incorporalis extra passionem est), sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, passum est, ideo haec omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo et mortem ipsius intelligimus. Immortale enim et incorruptibile est naturaliter et vita et vivificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipsius proprium, *gratia Dei*, juxta Pauli vocem, *pro omnibus mortem gustavit* (Hebr. 2, 9), idcirco ipse dicitur mortem passus esse pro nobis. Non quod ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet; insania est enim hoc vel sentire, vel dicere: sed quod, ut supra diximus, caro ipsius mortem gustavit. Ita et resurgente carne, ipsius rursus resurrectionem dicimus: non quia in corruptionem

ceciderit, absit; sed quia ejus resurrexit corpus. Ita Christum unum et Dominum confitemur, non tamquam hominem cum Verbo coadorantes, ne divisionis quaedam species inducatur; sed unum jam et eundem adorantes: quia non est alienum a Verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quasi duobus filiis assidentibus, sed uno cum carne per unitatem: quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi impossibilem, aut quasi parum decoram noluerimus accipere, in id incidimus, ut duos filios esse dicamus: necesse est enim discernere et dicere hominem separatim fuisse sola Filii appellatione honoratum, et rursum Verbum, quod est ex Deo, et nomine et veritate Filium Dei. Sed discernere in duos filios non debemus unum Dominum Jesum Christum. Neque enim id adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli nescio quam perhibeant copulationem personarum. Non dixit enim Scriptura, Verbum Dei personam hominis sibi assumpsisse, sed carnem factum esse. Id autem est ostendere Dei Verbum, similiter ac nos participationem habuisse carnis et sanguinis; et corpus nostrum proprie suum fecisse, et hominem ex muliere pro-

cessisse, non abjecta, nec deposita Deitate, aut generatione illa, quam habebat ex Patre; sed mansisse etiam in assumptione carnis Deum, quod erat. Hoc ubique rectae fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos patres fuisse comperimus. Ideo illi non dubitaverunt sanctam Virginem dicere *Θεοτόκον*; non quod Verbi natura Deitasque in sancta Virgine sumpsit exordium; sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum esse dicitur.

EPISTOLA XLVIII.

Ad Neonem ravennatem episcopum[1]).

De his, qui de captivitate redeuntes, incertum habent, utrum ante captivitatem baptisma consecuti sint.

SYNOPSIS.

1. De parvulis, qui in captivitatem devenerunt, et baptismum non reminiscuntur se consecutos. 2. Ut ab haereticis baptizatus per impositionem manus Spiritum sanctum accipiat.

Leo episcopus Neoni episcopo ravennati salutem.

Frequenter quidem in diversarum ambiguo quaestionum titubantia fratrum corda, Spiritu Dei instruente, solidavimus, responsionis formam vel ex sanctarum Scripturarum disciplinis, vel ex patrum regulis colligentes; sed nuper in synodo novum et in-

---

1) In edit. Baller. 166. al. 135. scripta 24. Oct. 458.

auditum antea genus consultationis exortum est.

Caput I. Nam quorundam fratrum suggestione comperimus, aliquos captivorum ad sedes suas libere redeuntes, qui scilicet in captivitatem illa aetate devenerint, quae nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismatis, sed utrum ejusdem mysterium baptismatis ac sacramenta perceperint, infantiae inscientia non posse reminisci, et ideo sub hoc latentis recordationis incerto, animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quae ideo non impenditur, quia putatur impensa. Cum itaque tribuere talibus dominici sacramenta mysterii non immerito quorundam fratrum formido dubitaret, in synodali, ut diximus, coetu formam hujuscemodi consultationis accepimus, quam diligentius discutientes, pro uniuscujusque sensu sollicita voluimus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius pervenire possemus. Eadem ergo, quae in sensum nostrum divina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit assensio. In primis itaque providere debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incida-

mus animarum. Quis enim ita sit suspicationibus suis deditus, ut verum esse definiat, quod, omni manifestatione cessante, ex opipinione ambigua suspicatur? Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, qui nesciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille qui consecrat. Scimus quidem inexpiabile esse facinus[1]), quoties juxta haereticorum damnata a sanctis patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quae nobis unam praedicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum (Eph. 4, 5). Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, et longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, utrum nemo sit penitus, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc, qui baptismatis indi-

1) Cf. annot. opusc. 22, 235.

get sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.

Caput II. Quod si ab haereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantum quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur[1]). Quam rem, frater carissime, ideo generaliter ad omnium vestrum volumus pervenire notitiam: ne dum plus justo metuitur, misericordia Dei salvari cupientibus denegetur. Data nono Kalendas Novembris, consulatu Majoriani Augusti.

1) Cf. annot. supra ad ep. XLV. al. 159. p. 207.

EPISTOLA XLIX.

Ad Rusticum narbonensem episcopum[1]).

Subjectis responsionibus ad ejusdem consulta.

SYNOPSIS.

1. Quod non habeantur episcopi, quos nec clerus elegit, nec populus exquisivit, nec provinciales episcopi consecrarunt. Si qui tamen clerici ab his pseudoepiscopis ordinantur, rata potest talis ordinatio haberi. 2. Quod presbyteri, aut diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem poenitentiae remedium consequi. 3. Quod diaconi, sicut episcopus et presbyter, cessare debeant ab opere conjugali, non tamen repudiare conjugia. 4. Quod aliud sit uxor, aliud concubina; nec erret, quiquis filiam suam in matrimonium concubinam habenti tradiderit. 5. Quod non sit conjugii duplicatio, quando ancilla rejecta, uxor assumitur. 6. De communione privatis, et ita defunctis. 7. De his, qui poenitentiam agere differunt. 8. Quod oporteat eum, qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere. 9. Quod poenitenti nulla ne-

---

1) In edit. Baller. 167. al. 2. scripta a. 458. vel 459.

gotiationis lucra exercere conveniat. 10. Quod ad militiam secularem post poenitentiam redire non debeat. 11. Quod adolescens, si urgente quocunque periculo, poenitentiam gessit, et non se continet, uxoris potest remedio sustineri. 12. Quod si quis propositum monachi deseruerit, publicae sit poenitentiae satisfactione purgandus. 13. Quod puellae, quae non coactae, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, peccant, si nupserint, licet nondum fuerint consecratae. 14. De his, de quibus dubium est, utrum baptisma perceperint, necesse est renascantur. 15. Quod eos, qui se baptizatos agnoscunt, sed in qua fide nesciunt, per manus impositionem suscipi conveniat. 16. De his, qui convivio gentilium et escis immolatitiis usi sunt.

Leo episcopus Rustico narbonensi episcopo.

Epistolas fraternitatis tuae, quas Hermes archidiaconus tuus detulit, libenter accepi, diversarum quidem causarum connexione multiplices, sed non ita patientiae legentis onerosas, ut aliquid earum inter concurrentes undique sollicitudines fuerit praetermissum. Unde totius sermonis tui allegatione concepta, et gestis, quae in episcoporum honoratorumque examine confecta sunt, recensitis, Sabiniano et Leoni presbyteris actionis tuae[1]) intelleximus fiduciam defuisse,

---

1) Editiones ante Quesnellum legunt *actionis suae*,

nec eis justam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint. Circa quos quam formam, quamve mensuram debeas tenere justitiäe, tuo relinquo moderamini: suadens tamen caritatis hortatu, ut sanandis aegris spiritalem adhibere debeas medicinam; et dicente Scriptura: *Noli esse nimium justus* (Eccl, 7, 17), mitius agas cum eis, qui pudicitiae zelo videntur modum excessisse vindictae: ne diabolus, qui decepit adulteros, de adulterii exsultet ultoribus.

Miror autem dilectionem tuam in tantum scandalorum, quacunque occasione nascen-

---

quae lectio sensum faciliorem reddit. Sed Quesnellus et Ballerinii codicum auctoritate restituunt *actionis tuae.* Sensum autem ita nituntur Ballerinii illustrare: „Forte Rustico aeque ac Sabiniano et Leoni privatim perspectum erat adulterii crimen (de quo quosdam accusaverant): unde hi sperabant fore, ut idem Rusticus, quamvis in episcoporum honoratorumque consessu judicis personam ageret, *actionem* quoque *suam* contra adulteros seu favorem accusatoribus impenderet. Cum vero satis idoneae probationes istis deessent, ita ut se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint, Rusticus ne dum ipsis favere non potuit, sed eosdem correctione dignos ex legibus censuit: in quo mitius ei agendum s. pontifex respondet.“

tium, adversitate turbari, ut vacationem ab episcopatus laboribus praeoptare te dicas, et malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his, quae tibi commissa sunt, permanere. Dicente vero Domino: *Beatus qui perseveraverit usque in finem* (Matth. 19, 24): unde beata erit perseverantia, nisi de virtute patientiae? Nam secundum apostolicam praedicationem: *Omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur* (2. Timot. 3, 12). Quae non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscunque suppliciis: cum persecutionum saevitiam suppleant et dissimilitudines morum, et contumaciae inobedientium, et malignarum tela linguarum: quibus conflictationibus cum omnia semper membra pulsentur, et nulla piorum portio a tentatione sit libera, ita ut periculis nec otia careant, nec labores: quis inter fluctus maris navim diriget, si gubernator abscedat? Quis ab insidiis luporum oves custodiet, si pastoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obsistet et furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum, ab intentione sollicitudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo est in opere credito, et

in labore suscepto. Constanter tenenda est justitia et benigne praestanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: et quod in peccatis severius castigari necesse est, non saevientis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus, quasi illi adversitati propriis viribus resistendo, cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans praevaricatores Evangelii et sacramentorum ministros: *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (Matth. 28, 20). Et iterum: *Haec*, inquit, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem mundo tribulationem habebitis; sed bono animo estote, quia ego vici mundum* (Joan. 6, 33). Quae pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria, quam vera promissa.

De consultationibus autem Dilectionis tuae, quas separatim conscriptas archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit, inter praesentes opportunius quaereretur de

singulis, si nobis tui conspectus copia proveniret. Nam cum quaedam interrogationes modum diligentiae videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse quam scriptis. Quia sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari: illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum.

INCIPIUNT
AD INQUISITIONES
EJUSDEM EPISCOPI SUBJECTA RESPONSA.

INQUISITIO I. *De presbytero vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt: et de his, quos ipsi clericos ordinarunt.*

RESPONSUM. Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Unde cum saepe quaestio

de male accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et judicio praesidentium facta est, potest rata haberi: ita ut in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est creatio, quae nec loco fundata est, nec auctore munita[1]).

INQUISITIO II. *De presbytero vel diacono, qui si cognito crimine suo poenitentiam*

---

1) *Nec auctore munita.* Loquitur hic s. Leo de episcopis illegitime electis, quos valide quidem ordinatos censet, sed carere jurisdictione, usu, exercitio potestatis episcopalis. Jam vero statuit, clericorum ab ipsis pseudoepiscopis ordinatorum, qui alios habent episcopos, ratum haberi posse ordinationem, si ea horum episcoporum consensu facta sit, et si ipsi in iis ecclesiis, in quibus ordinati sunt, maneant, alioquin eorum ordinatio erit irrita non quoad valorem, sed quoad jura et potestatis exercitium ordinationi legitimae adnexa, *quia nec loco fundata est*, quia secundum canones non licet quemquam ordinare, quin certae assignetur ecclesiae, *nec auctore munita*, quia clerici Ordinarius non consensit, et pseudoepiscopus utpote illegitimus legitime nequeat ordinare.

publicam petunt, utrum ei per manus impositionem danda sit.

RESPONSUM. Alienum est a consuetudine ecclesiastica[1]), ut qui in presbyterali honore, aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo* (1. Reg. 2, 25)? Unde hujusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

INQUISITIO III. *De his, qui altario ministrant et conjuges habent, utrum eis licito misceantur?*

RESPONSUM. Lex continentiae eadem est ministris altaris, quae episcopis atque presbyteris: qui cum essent laici sive lectores, licito et uxores ducere, et filios procreare potuerunt. Sed cum ad praedictos pervenerunt gradus, coepit eis non licere, quod li-

1) *Alienum est a consuetudine ecclesiastica.* Cf. Siricium ep. 1. ad Himerium n. 18. opusc. 17, 217; et annot. ad Optati ll. de schismate donatistarum opusc. t. 10. pag. 30, 55, 64. etc.

cuit. Unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere; quo et salva sit caritas connubiorum, et cesset opera nuptiarum.

INQUISITIO IV. *De presbytero vel diacono, qui filiam suam virginem illi viro in conjugium dederit, qui jam habebat conjunctam mulierem, ex qua etiam filios susceperat.*

RESPONSUM. Non omnis mulier juncta viro uxor est viri; quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem foedera inter ingenuos sunt legitima, et inter aequales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quam initium romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahae: *Ejice ancillam et filium ejus: Non enim heres erit filius ancillae cum filio meo Isaac* (Gen. 21, 10). Unde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum[1]): dubium

1) *Christi et Ecclesiae sacramentum.* Ratio quare

non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cujuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit; nisi forte illa mulier, et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata videatur.

INQUISITIO V. *De puellis, quae viris concubinas habentibus nupserint.*

RESPONSUM. Paterno arbitrio viris junctae carent culpa, si mulieres, quae a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt[1]).

---

conjunctio viri ingenui cum serva, quae secundum rigorem hujus vocis est serva et nullo modo ingenua et libera, non sit matrimonium, eo continetur, quod societas nuptiarum non in sola sexuum conjunctione consistat, sed etiam in se Christi et Ecclesiae sacramentum prae se ferre debeat. Jam vero Christus liberam duxit Ecclesiam seu ducendo et redimendo liberam fecit: hinc necesse est, ut mulier libera sit dum assumitur in uxorem, vel libera reddatur, dum assumitur, ut mox advertit s. Leo.

1) Hisce extendit responsum ad quamvis puellam paterno arbitrio viro antea concubinae conjuncto traditam; nam praeced. c. egerat de solis clericis filias tradentibus ad nuptias. Plures codices et editiones verba: *quia aliud est nupta, aliud concubina* huic

INQUISITIO VI. *De his, qui mulieres, ex quibus filios habent, relinquunt, et uxores accipiunt.*

RESPONSUM. Quia aliud est nupta, aliud concubina, ancillam a toro abjicere, et uxorem certae ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.

INQUISITIO VII. *De his, qui in aegritudine poenitentiam accipiunt, et cum revaluerint, agere eam nolunt.*

RESPONSUM. Culpanda est talium negligentia, sed non penitus deserenda: ut crebris cohortationibus incitati, quod necessarie expetierunt, fideliter exsequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnunquam, quod diffidentia aetatis [1]) differtur, consilio maturiore perficitur.

---

responso subjungunt. Sed Ballerinii aliorum codd. auctoritate ea rejiciunt in initium sequentis responsi, ad quod sane ex ipso contextu pertinere noscuntur.

1) *Diffidentia aetatis.* Cum semel acta poenitentia publica, ea iterum non concederetur (cf. opusc. 5, 106. ss.), hinc plures, qui eam propter peccata gravia agere debebant, eam differebant *ex diffidentia aetatis*, scil. ex timore, ne propter aetatem nondum provectam iterum in eadem relaberentur peccata, et

INQUISITIO VIII. *De his, qui animo jam deficientes poenitentiam accipiunt, et ante communionem moriuntur.*

RESPONSUM. Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

INQUISITIO IX. *De his, qui dolore nimio perurgente rogant dari sibi poenitentiam, et cum venerit presbyter daturus quod petebant, si dolor parum perquieverit, excusant, et nolunt accipere, quod offertur.*

RESPONSUM. Dissimulatio haec potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde poenitentia, quae dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur: ut quoquomodo ad indulgentiae medicinam anima vulnerata perveniat.

INQUISITIO X. *De his, qui poenitentiam professi sunt, si in foro litigare coeperint.*

RESPONSUM. Aliud quidem est debita

---

hinc non amplius tam salubri remedio uti possent. Cf. infra inquis. 9. Propter eandem fere rationem tot catechumeni primis Ecclesiae seculis differebant baptismum.

justa reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet a multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (1. Cor. 6, 12). Unde si poenitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius expetit ecclesiasticum, quam forense judicium.

INQUISITIO XI. *De his, qui in poenitentia, vel post poenitentiam negotiantur.*

RESPONSUM. Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est et honestus quaestus et turpis. Verumtamen poenitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi; quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.

INQUISITIO XII. *De his, qui post poenitentiam ad militiam secularem revertuntur.*

RESPONSUM. Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post poenitentiae actionem redire ad militiam secularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus* (2. Tim. 2, 4). Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare.

INQUISITIO XIII. *De his, qui post poe-*

nitentiam uxores accipiunt, vel concubinas sibi conjungunt.

RESPONSUM. In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, poenitentiam gessit, et postea timens lapsum incontinentiae juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem[1]), si praeter conjugem nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius, aestimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui poenitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis et corporis.

INQUISITIO XIV. *De monachis, qui aut militare coeperint, aut uxores accipere.*

RESPONSUM. Propositum monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim

---

1) *Rem venialem*, venia, excusatione dignam. *Non regulam constituimus*, non dicimus hoc esse faciendum, sed id toleramus, permittimus, ne in gravia ruat peccata. Omnino loquitur ut Paulus in simili argumento 1. Cor. 7, 6. Ceterum hinc discimus, quantam perfectionem Ecclesia exegerit ab iis, qui poenitentiam publicam subierant.

quis vovit Deo, debet et reddere. Unde qui relicta singularitatis[1]) professione ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicae poenitentiae satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, et honestum potest esse conjugium, electionem meliorum deseruisse, transgressio est.

INQUISITIO XV. *De puellis, quae aliquamdiu in habitu religioso fuerunt, non tamen consecratae, si postea nupserint.*

RESPONSUM. Puellae, quae non coactae parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, praevaricantur, etiamsi consecratio non accessit[2]); cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

---

1) *Singularitatis professione* professione vitae monasticae, solitariae. Hae non sunt intelligenda tantum de eremetis, sed de omnibus religiosis, qui quatenus deserunt mundum, vitam solitariam profitentur.

2) Manifesto duo distinguit s. Leo *propositum* cum habitu conjunctum et *consecrationem*. Propositum erat vel solemne per ingressum in monasterium, vel privatum per susceptionem virginalis habitus in propria domo, quod a puella duodenni praestari poterat; consecratio vero ante annum aetatis 40. ne

INQUISITIO XVI. *De his, qui a parentibus christianis parvuli derelicti sunt, et utrum baptizati sint, non potest inveniri; an debeant baptizari?*

RESPONSUM. Si nulla exsistant indiciă inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos atque vicinos, quibus hi, de quibus quaeritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur: ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum [1]).

INQUISITIO XVII. *De his, qui parvuli ab hostibus capti sunt, et non se sciunt baptizatos; sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam a parentibus ductos: utrum possint, vel debeant, cum ad Romaniam venerint, baptizari?*

RESPONSUM. Qui possunt meminisse, quod ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum

---

fieret sancivit Leo. Hic quoque constituit, inquit liber *de rom. pontificibus*, ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate annis quadraginta.‹ Cf. Quesnellum in h. l.

1) Cf. de hoc responso ep. praecedentem.

parentibus dabatur[1]), acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.

INQUISITIO XVIII. *De his, qui ex Africa, vel de Mauritania venerunt, et nesciunt, in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat observari?*

RESPONSUM. Non se isti baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur: unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt: sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab haereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

INQUISITIO XIX. *De his, qui parvuli quidem baptizati a gentilibus capti sunt, et cum illis gentiliter convixerunt; cum ad Romaniam adhuc juvenes venerint, si communionem petierint, quid erit observandum?*

RESPONSUM. Si convivio solo gentilium et escis immolatitiis usi sunt, possunt jeju-

---

1) *Quod eorum parentibus dabatur* scil. eucharistia.

niis et manus impositione purgari: ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per poenitentiam publicam, non oportet admitti.

EPISTOLA L.

Ad universos episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos[1]).

SYNOPSIS.

1. De baptismo, ne in natalibus martyrum, sed in Paschae et Pentecostes solummodo festis celebretur.
2. De confessione peccatorum, ne publice fiat, sed soli sacerdoti.

Leo universis episcopis per Campaniam, Samnium et Picenum constitutis.

Caput I. Magna indignatione commoveor, et multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi ita esse apostolicae traditionis oblitos, et studio sui erroris intentos, ut praeter paschalem festivitatem, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanae infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati

---

1) In edit. Baller. 168. al. 136. scripta 6. Martii 459.

arbitrii libertate, jus baptismatis vindicare; et in natalibus martyrum, quorum finis aliter honorandus est, quam dies dominicae passionis, regenerationis celebrare mysteria, ac sine ullis spiritualium eruditionibus praeparationum, ita rudibus et imperitis tradere sacramentum, ut circa renovāndos nihil doctrina ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur[1]), neque in tanto mysterio salutis humanae ulla ejus diei habeatur exceptio, quo ipsum donum est conditum renascendi. Admonemus igitur, et non sine periculo status eorum, qui hoc faciunt, protestamur, ut ab hac praesumptione cessetur; et summam hanc potentissimamque Dei gratiam, non nisi in paschali et pentecostes die desiderantibus et credentibus conferatis: manente quolibet tempore gravioris necessitatis ac periculorum consideratione, secundum quam opor-

---

1) Ante hos solemnissimos dies festos catechumeni institutione, jejuniis, manuum impositione aliisque sacris ritibus ad tantum sacramentum praeparabantur. Quod si baptismum extra necessitatis casum pro lubitu aliis quoque diebus conferre licuisset, non poterat tam utilis et solemnis praeparatio praemitti. Cf. supra ep. 16. in nostra edit. 10. c. 5.

teat subvenire; ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur: cum, servata, sicut praelocuti sumus, duarum tantummodo festivitatum reverentia, propter multa pericula sit cavendum, ne cuiquam aut in desperata aegritudine, aut in hostilitatis incursu, aut in timore naufragii, per sacerdotem Domini regeneratio denegetur. Si quis vero post hoc interdictum in eădem fuerit usurpatione detectus, dignam pertinaciae suae incidet ultionem: quoniam ostendit se turpe potius lucrum, quam religionis cultum esse sectatum.

Caput II. Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta[1].

---

1) Praeclarum testimonium pro sacramentalis confessionis necessitate. Dico de confessionis *necessitate.* Supponit enim s. Leo clare, confessionem esse de ratione salutaris poenitentiae. Vetat siquidem, publicam exigere confessionem: quare? quod sufficiat privata, ut bis inculcat: quod si ne haec quidem esset necessaria, quanto efficacius abusum hunc damnasset

Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui poenitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo: ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti: qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Datum pridie Nonas Martii, Recimere Consule.

---

animadvertens, *nullam* requiri confessionem, eamque ad summum esse laudabilem. Ceterum et supra ep. 108. in nostra ed. 31. c. 2. confessionem requirit, ut sacerdotes potestate clavium peccata remittere possint.

INDEX.

A. M. D. G.